QUO MODO *IACIENDI* VERBI COMPOSITA IN PRAESENTIBUS TEMPORIBUS ENUNTIAVERINT ANTIQUI ET SCRIPSERINT

QUAERIT

MAURICIUS W. MATHER.

I. Praefatio.

CUM has *iaciendi* verbi praesentis formas quae praepositionibus subiunguntur pertractaverint viri doctissimi haud ita pauci, quorum in primis Wagnerum, Lachmannum, Corssenum, Guil. Schmitzium, L. Müllerum honoris causa volo nominatos, adhuc tamen non fuit, qui omnibus inscriptionibus perscrutandis atque quem ad modum poetae Latini ab illius Livi Andronici temporibus usque ad extremum alterum saeculum p. Chr. n. haec verba composita ad versus accommodaverint quaerendo huius rei scrupulos dubitationesque multas tollere conatus sit. Mihi igitur in mente est, quae ex his fontibus duobus magna cum cura laboreque exempla derivavi, ea ita ordinata in extremo opusculo[1] enumerare, ut omnibus appareat quae testimonia sint antiqua ad hanc rem pertinentia, atque ut sit facultas iudicandi verumne ipse ego in meo commentariolo investigaverim.

Soluta praeterea oratione scripti codices non nulli adhibiti, qui temporibus octavo saeculo p. Chr. n. superioribus exarati sunt, aliquid ad existimandum, quo modo haec verba scripsissent antiqui, obtulerunt. Post decimum autem saeculum qui scripti sunt libri minus, ut fit, proficiunt hac in quaestione; in his quoque saepenumero, praecipue renascentium litterarum temporibus, perversam per duas *i* litteras rationem videmus scribendi, quae non solum in quibusdam poetarum locis numeros laedit,[2] verum etiam perpaucis in antiquio-

---

[1] Cf. infra, p. 127 sqq.

[2] Cf. ind. Plaut. b, pro *cŏnicitis*, *cŏniciam* habet F *coniicitis*, *coniiciam* ; Moret. a, pro *ăbicit* habent H ϵ *adiicit* ; Mart., pro *ădicit* habent b φ *adiicit*.

ribus libris, in eisque admodum raro, occurrit, numquam autem in titulis. Atqui huius ipsius rationis auctores sunt grammatici Latini. Unde patet eos, cum non nihil prosint nobis quaerentibus, tamen praecepta scribendi non tam ex consuetudine hausisse quam ex similitudine; atque ideo iis quae docent necesse est ne nimis credamus cavere.

In editionibus auctorum Latinorum usque a tempore, quo formis describi coepti sunt libri Latini, ad medium huius saeculi *iaciendi* verbi praesentis formas quae cum praepositionibus coniunguntur duplicata *i* paene constanter scriptas legimus, velut *abiicit*, *deiicit* et similia. Solae excipiuntur figurae in quibus e numerorum ratione primam apparet syllabam aut corripi aut per diphthongum, quem dicunt, cum insequente *i* coalescere, ut in Iuv. 15, 17 :—

Hunc *ăbicit*, saeva dignum veraque Charybdi,

et in Verg. E. 3. 96 :—

Tityre, pascentes a flumine *reîce* capellas.

Wagner primus, quod sciam, in editione Vergili carminum ad pristinam orthographiam revocatorum a. 1841 in lucem edita illam geminationem reiecit. Qua de re conferas illius operis p. 445. Cum autem unam *i* litteram ab antiquis scriptam putaret, duas tamen esse auditas adnotavit ad A. 12.308, ubi dixit *disicit* verbum esse scriptum sed *disiicit* auditum. Etiam scriptas esse duas *i* litteras arbitratus Ritschl, vir doctissimus, verbum *obiiciunt* et aetate et integritate par esse illis *plurimus*, *universi*, *sequuntur* vocabulis iudicavit in Proleg. Trin., 1848, p. 92. Brambach quoque in libro de Latine scribendi ratione, quem Die Neugestaltung der Lateinischen Orthographie inscriptum a. 1868 edidit, quamquam unam *i* imperi aetate plerumque scriptam fatetur (p. 201, vs. 5), tamen cum vocali syllaba praefixa exiret, propter illum pleniorem sonum *i* litterae vocalibus interpositae duplicem *i* tantum non semper scriptam existimavit (vs. 19). Atque post consonante exeuntes praepositiones esse auditam *i* consonantem demonstrare adfirmat exempla a Gellio (4. 17) prolata, quorum prima syllaba positione producatur (vs. 11), atque hanc *i* consonantem scribi quoque iubere ipsum Gellium et Priscianum (vs. 24). Itaque qui lingua Latina hodie utuntur, eos

iubet post vocalis duplicem *i*, post consonantes vel duplicem ponere vel simplicem (p. 202, vs. 7: "Es lässt sich demnach für unsere Orthographie die Regel aufstellen, dass nach vocalisch auslautenden Präpositionen das doppelte I zu schreiben sei; nach consonantisch auslautenden Präpositionen ist sowohl doppeltes als einfaches I gestattet, jenes nach der Theorie, dieses nach der vorherrschenden Praxis"). In libro autem qui inscribitur Hülfsbüchlein für Lateinische Rechtschreibung a. 1872 in lucem emisso, § 20, II, unam *i* scribendam dicit et post vocalem et post consonantem.

At Lachmann *i* duplicem non scripsisse antiquos cum perciperet (cf. Comm. in Lucr. p. 128: "*Eiicit* contra veterum consuetudinem"), auditam tamen consonantem *i* putavit ubicumque producerentur syllabae praefixae. Quem sonum ut significaret scribendo, unam autem atque unicam *i* litteram scriberet, *j* formam adhibuit. *Ejci* quidem, *dejci*, *projci*, *conjce*, *objcitur*, *injce*, *adjceret*, *projciam* scripturas in operis supra commemorati pagina 188 protulit. Quo autem modo haec enuntiari voluerit p. 136, si quid video, significavit his verbis: "Notissimum est *cojcere sive coiicere*." Non alium igitur effecit sonum ac Wagner et Brambach. Fuisse autem ubi ex *ie* litteris constaret apud antiquos syllaba quae praepositionem subsequeretur, velut *coniecíant*, *obieciemus*, alia, ex scripturis quibusdam conlegit quas satis paucas invenerat in libris manu scriptis; atque in sua Lucreti editione hanc scripturam aliquot locis restituit. Quibus de rebus conferas, si vis, illud commentarium, p. 128. Sed *j* litteram lingua Latina alienam, quamquam neque in sua scripta neque in editiones auctorum veterum adsumpsit Lachmann ipse, Vahlen tamen in editione Ennianae poesis reliquiarum a. 1854 edita, et Ribbeck in prima editione scaenicae Romanae poesis fragmentorum, quam inter annos 1852 et 1855 edidit, omnibus locis adhibuerunt ubi producendam primam esse syllabam ex numerorum apparet ratione. Huius rei exempla videas in altero opere in Annalium vs. 75, *conjcit*, in altero p. 72 prioris voluminis ubi est *projcit*, posterioris autem p. 66, *injci*. Mox Lucianus Müller in libro quem scripsit de re metrica a. 1861, p. 249, dicit apud poetas dactylicos usque ad Propertium *i* litteram horum *iaciendi* compositorum consonae habuisse instar; sonum autem cum non indicet, veri simile est non alium ac Lachmann eum voluisse. Eius autem quod est *iecio* formas demum

imperi aetate scripsisse non nullos putavit, quo facilius productionem praepositionis apud veteres poetas explanarent. Illum Lachmannianum sonum Guil. Schmitz quoque admisit ubi consonante finitur praepositio. Sin autem vocalis est extrema praepositionis littera, duabus vocalibus ita interpositae *i* consonantis sonum esse aliquando saltem mixtum, spreta ea volgari quadam synaloephe *coicere*, *eicere*, *reicere*, al., docuit ille in quaestione de I geminata et de I longa, quae commentatio programmati gymnasi Marcodurani a. 1860 inserta nunc commodissime reperitur in libro eius qui inscribitur Beiträge zur lateinischen Sprach- und Literaturkunde, apud Teubnerum a. 1877 impresso, p. 70 sqq. Hunc sonum sic repraesentat scribendo: "pro͡ïjecit (praet. temp.), co͡ïjicit, e͡ïjicit." Postremo H. A. I. Munro, ut Anglum denique nominem qui de hac re sententiam dixit, Lachmanno prorsus adsentiebatur. Namque cum *abicio* vel *abiecio* alia solas esse antiquas scripturas credidit, ut potest videri ex commentario in Lucretium 1. 34 et 2. 951, tum priorem esse dictam et dicendam proinde quasi Anglice *abyicio* scriberetur, in libello qui inscribitur A Few Remarks on the pronunciation of Latin a. 1871 edito, p. 9 breviter exposuit.

Lexicis porro Latinis non semper possumus credere; quorum quod praecipuum in nostra patria tenet locum, illud dico quod a Lewis et Short recognitum Harper's Latin Dictionary inscribitur, et illud minus a Lewis solo a. 1890 editum, quod inscribitur Elementary Latin Dictionary, inducunt formas vel simplici vel duplici *i* littera scriptas, sed quam inconstanti consilio rationeque perspici potest animadversis his exemplis: —

L. et S.	s.v. abicio,	*ăbĭcio* or *abjĭc-* (in the best MSS. abicio).
Lewis	s.v. abicio,	*abicio* (a usu. long by position) or *abiicio*.
L. et S.	s.v. eicio,	*ēĭcio* (or *ejicio*).
Lewis	s.v. eicio,	*ēicio* (pronounced, but not written, ē-iicio).
L. et S.	s.v. subicio,	*sūbĭcio* (less correctly *subjĭcio*: post-Aug. sometimes *sŭb-*).
Lewis	s.v. subicio,	*subicio* (the first syl. usu. long by position; often pronounced and sometimes written subiicio).

His variis opinionibus doctorum nostrae aetatis virorum quadam in praefatione praepositis, iam demum veterum testimonia de hac re eo pergamus consilio inspicere, ut primum ea verba tractemus quorum praefixae syllabae consonante cadant, deinde postea quorum vocali.

II. *IACIENDI* VERBI COMPOSITA QUORUM PRIOR PARS CONSONANTE CADIT.

Modum volgarem haec *iaciendi* composita in praesentibus temporibus dicendi quorum praepositiones consonante finiuntur temporum cursu se immutasse testimonio sunt poetae. Omnium enim formarum apud poetas repertarum qui ante Augusti obitum scripserunt, praeter solas quattuor apud Plautum [1] et Naevium,[2] produci primam syllabam vel licet vel necesse est. Nam cum maior pars eorum quae sunt exempla apud scaenicos poetas praepositionis mensuram non prae se fert,[3] non desunt tamen quae productionem sine ullo dubio ostendant [4]; atque quae in herois quidem reperiuntur, illa omnia producenda sunt.[5]

Sed post Augustum mortuum, vel adeo fortasse paulo ante, alia consuetudo orta est, qua illa mensura, quam Plautum et Naevium quater certe adhibuisse diximus, volgaris est facta. Cf. Moret. 96 :—

Spargit humi atque *ăbicit* . . .

German. 196 :—

Qualis ferratos *sŭbicit* . . .

Conferas porro infra, p. 145 sqq., si libet, ut usum perspicias reliquorum. Hanc tamen correptionem, quamvis plerumque acceptam, omnino vitaverunt Valerius Flaccus [6] et Serenus Sammonicus,[7] semel adsumpsit Statius [8]; neque productionem plane excluserunt alii. In sermone autem constanter correptas esse has praefixas syllabas con-

[1] Cf. ind. Plaut. b; etiam p. 99.
[2] Cf. ind. Rell. b.
[3] Cf. ind. Plaut. c; Ter. b; Rell. c.
[4] Cf. ind. Plaut. a; Ter. a; Rell. a.
[5] Cf. ind. Enn. a.
[6] Cf. ind. Val. a.
[7] Cf. ind. p. 151; cf. etiam Ausonium, ib.
[8] Cf. ind. Stat. b; cf. etiam Claudianum b, p. 151.

sonante exeuntes secundo saltem saeculo[1] dilucide docet Auli Gelli narratio in 4. 17, cum dicit plerosque, ut apud veteres poetas rationem numeri servarent, vocalem praepositionis produxisse. Quarto quoque saeculo correptionem testatur Marius Victorinus, quem in optimorum numero grammaticorum esse ducendum existimavit Ritschl in Museo Rhenano XIV (a. 1859), p. 302. Conferas illum locum (K. VI. 67. 17) quo dicit versum Vergilianum (A. 11. 354) qui incipit a verbis *Adicias nec te* ἀκέφαλον esse, veluti capite imminuto.

Quo modo igitur haec commutata ratio intellegi possit, qua, cum primo produxissent praefixam consonante finitam syllabam, deinde corripiebant, nunc tandem consideremus. Si unam *i* litteram scribebant, nullum obicit scrupulum haec contractio, sed quem tum fuisse modum et scribendi et dicendi arbitremur cum poetae productis uterentur praefixis syllabis?

Principio igitur grammaticorum, ut par est, videamus testimonia. Apud Quintilianum sunt haec verba (1. 4. 11): "littera *i* sibi insidit; *coniicit* enim est ab illo *iacit*." Gellius haec dicit (4. 17. 6 sqq.): "Sed neque *ob* neque *sub* praepositio producendi habet naturam, neque item *con*, nisi cum eam litterae secuntur, quae in verbis *constituit* et *confecit* secundum eam primae sunt, vel cum eliditur ex ea *n* littera, sicut Sallustius: *faenoribus*, inquit, *copertus*. In his autem, quae supra posui, et metrum esse integrum potest et praepositiones istae possunt non barbare protendi; secunda enim littera in his verbis per duo *i*, non per unum scribenda est. Nam verbum ipsum, cui supra dictae particulae praepositae sunt, non est *icio* sed *iacio*, et praeteritum non *icit* facit, sed *iecit*. Id ubi compositum est, *a* littera in *i* mutatur, sicuti fit in verbis *insilio* et *incipio*, atque ita vim consonantis capit, et idcirco ea syllaba productius latiusque paulo pronuntiata priorem syllabam brevem esse non patitur, sed reddit eam positu longam, propter eaque et numerus in versu et ratio in pronuntiatu manet. Haec, quae diximus, eo etiam conducunt, ut, quod apud Vergilium in sexto positum invenimus (vs. 366):—

> Eripe me his, invicte, malis: aut tu mihi terram
> Inice,

[1] Cf. etiam ind. Inscr. a, *ădicit* in vss. hexametris a. 136 p. Chr. n. scriptis.

sic esse *iniice*, ut supra dixi, et scribendum et legendum sciamus, nisi quis tam indocilis est, ut in hoc quoque verbo *in* praepositionem metri gratia protendat." Prisciani autem testimonium hoc est (K. II. 126. 18): "solet plerumque in compositione *a* in *i* converti, ut 'cado incido,' 'facio inficio,' 'iacio iniicio'" . . . . . At contra haec Servius in commentario Vergiliano (4. 549): "*obicio*, *reicio*, *adicio* 'i' habent vocalem sequentem quae per declinationem potest in consonantis formam transire, ut *obieci*, *reieci*."

Ex his locis apparet grammaticos plerumque duas *i* litteras censuisse scribendas, alteram consonantem, alteram vocalem. Quod si fit, positione longa redditur prima syllaba, atque sonus qui auditur est ille cuius omnes, qui de hac re recentioribus scripsere temporibus, fuerunt auctores.[1]

Nusquam tamen haec ratio grammaticorum firmatur ex inscriptionibus. Unum exemplum mihi repertum (*iniice*, cf. ind. Inscr. c) in Falsis continetur, in quibus haud scio an alia inveniri possint; non enim qua cura veras, ea falsas examinavi.

Neque in libris quidem manu scriptis est frequens geminata *i* littera usque ad duodecimum vel potius proximum saeculum. Namque in poetarum libris haec fere sunt exempla, quantum quidem conligi potest ex variis scripturis quas optimae editiones suppeditant:—

Plautinorum[2] codicum in Lipsiensi uno est duplex *i* saepe repertum, neque in hoc ubique. Hunc codicem, qui F volgo, L in Truculenti editione Schoelliana notatus est, saeculo XV scriptum ab Italo librario, verba poetae partim vere correcta, partim etiam magis corrupta atque licenter interpolata exhibere dixit Ritschl in Trinummi praefatione.[3] Decurtatus (C) saeculi XI, et ante rasuram Ursinianus (D) saec. XII habent scriptum *obiicere* in Mil. 619, sed in D alterum *i* est erasum. Iterum habet C *obiicere* in vs. 623.

Tibullianus[4] codex Guelferbytanus (G) saec. XV praebet duplicatam *i* litteram in utroque exemplo *iaciendi* verbi praepositioni subiecti, *coniicit* 1. 8. 54, *subiiciet* 1. 5. 64.

---

[1] Cf. sup., pp. 84–86.
[2] Cf. ind. Plaut. a, b, c.
[3] Schoell. edit., 1884, p. xiv.
[4] Cf. ind. Tibul. a.

Vergili[1] Palatinus-Vaticanus (P) saec. IV-V *ii* bis exhibet, *disiicit* in A. 12. 308, ubi manu secunda deletum est alterum *i*, et *superiicit* ib. 11. 625. Tum schedae rescriptae Veronenses (V) saec. IV-V (?) habent in A. 7. 339 *disiice* ut videtur, supra scripta fortasse *s* littera. Cf. Ribbeck. ad h.l.

Ovidiani[2] codices sunt nulli ante nonum saeculum descripti. Haec *ii* scripturae exempla in editionibus enumerata invenio, ad quae nimirum alia accedere possint; Bodleianus B. N. Rawl. 101 (Q) saec. XV habet *ij* sive *ii* constanter in Tristibus. Holkhamicus (H, v. Owen. edit. p. xx) saec. XIII exhibet *coniiciendus* in T. 3. 11. 46, Vaticanus 1606 (V) saec. XIII *obiiciunt* ib. 5. 10. 40, Ns codices incertae aetatis (cf. Merkel. edit. 1841, pp. cclxxix et cclxxxii) *adiice* in F. 1. 189.

Moreti[3] carminis Vaticanus 3252 (B) saec. IX et Helmstadiensis 332 (H) saec. XV et Basileensis (ε) saec. XV tradunt *adiicitur* in vs. 99. H ε *adiicit* in vs. 96.

Senecae[4] recensio interpolata (A), quae ad tempora medio XIV saeculo haud superiora pertinet, *adijce* praebet in Med. 527.

Valeri Flacci[5] Monacensis (M) saec. XV, qui est optimorum huius poetae codicum, *disiicit* in 3. 162 manu secunda habet ex *disicet.*

Sili[6] Florentinus (F) saec. XV, qui secundus est ad Laurentianum omnium optimum, habet in 9. 538 *dissijce* manu secunda scriptum ex *disice* vel *disire.*

Iliadis Latinae[7] codices Erfurtanus (E) et Leidensis (L), qui ambo saeculo XII scripti huius carminis sunt excellentissimi, tradunt alter *disiiceret*, alter *dis*^{cu}*ceret* in vs. 325.

Martialis[8] denique codices duo interpolati (b φ) saec. XV proferunt in 10. 82. 1 illud quod numeris obstat, *adiicit.*

Qui autem verba soluta scripserunt, in eorum codicibus ne unum quidem exemplum *i* duplicis credo inveniri posse, nisi in iis qui post octavum certe saeculum exarati sunt. Plures enim qui ante septimum saeculum sunt descripti, post autem partim rescripti sunt, quo modo

---

1 Cf. ind. Verg. a.
2 Cf. ind. Ov. a.
3 Cf. ind. p. 145, Moret.
4 Cf. ind. Sen. b.
5 Cf. ind. Val. a.
6 Cf. ind. Sil. a.
7 Cf. ind. Il. Lat. a.
8 Cf. ind. Mart.

eius verbi quod est *iacere* formas praesentis, quae praepositionibus adfiguntur, nobis tradant, ex apographis quibusdam sive ex adnotationibus criticis editorum cognovi, neque etiam semel illam geminationem inveni. In illa enim *in*^{i}*icitur* scriptura,[1] quam habet in Plini N. H. 13. 129 codex rescriptus Veronensis sive San-Paulinus saeculi IV-VI,[2] illud *i* supra positum recentior manus addidit. Nam in ceteris horum compositorum exemplis, quae sunt hoc in libro, *i* simplex constanter scriptum legitur. Item in Gai Institutionibus 3. 119 codicem Veronensem saec. V-VI [3] non habere illius *ii* vestigium recte iudicavit Lachmann, ubi dixit in sua editione, "Duplex *i* in codice esse non credo." Quod enim a Studemundo traditum est in huius codicis apographo p. 159 in versus 11 fine, *ADIx* (*CI* ab initio proximi versus est perspicuum), id non est a codice descriptum, sed *AD* litterae solis schedis Goescheni debentur, et *Ix* ex schedis Bluhmianis recipiuntur. In illo spatio *x* notato cum Bluhme olim *i* exstitisse opinaretur, parum perspexisse oculos mihi certum videtur. Nam cum in extremo versu aliter potuit maculam pagina facile accipere, tum constanter in codice *i*, non *ii*, scribitur.[4]

Horum praeterea codicum scripturas perspexi: —

Ciceronis libri de Re Publica Vaticani palimpsesti in lucem a. 1822 editi ab A. Maio (Auct. Cl. I), qui secundo vel tertio saeculo eum exstitisse suspicatus est (cf. o. c. pp. lxv–lxvi); Teuffel autem, § 184. 5, quarto saeculo attribuit.

Ciceronis in C. Verrem orationum partes complectentis Vaticani palimpsesti saec. IV (?) (cf. Teuffel. R. L.[5] § 179. 6–11. 3) quem Maius a. 1828 edidit in Auct. Cl. II, p. 390 sqq.

T. Livi codicis rescripti Veronensis quem partes librorum III–VI continentem Theodorus Mommsen a. 1868 descripsit et edidit. Saeculo IV eum esse scriptum censuit ille p. 158.

T. Livi codicis Puteani sive Parisini 5730, qui saec. V vel VI descriptus maximi est ad libros emendandos a vicesimo primo ad

---

1 Sillig. edit. 1855, VI. p. 170. 15.

2 Ib. p. xx et Teuffel. R. L.[5] § 313. 6.

3 Cf. Studemund. Gai Instit. cod. Veron. Apographum, p. xx.

4 Cf. Studemund. p. 320; *deici*, *inicio*, *obicere*, *subicere* formae satis frequenter occurrunt in codice.

tricesimum (cf. apparatum criticum et prolegomenum Luchsianae editionis librorum XXI–XXX duobus voluminibus annis 1888–89 perfectae).

Codicis Vaticani n. 5766, in quo insunt Iuris Anteiustiniani Fragmenta quae dicuntur Vaticana, quem librum saec. V exaratum (cf. Mommsen. edit. p. 389) addita transcriptione notisque criticis edidit Th. Mommsen a. 1860.

Frontonis codicis palimpsesti Bobiensis, qui ad saeculi VI initium pertinet (cf. Naber. edit. 1867, pp. xi–xii; etiam p. 280 ubi dicitur hic codex *i* pro *ii* constanter habere in compositis *iaciendi* verbi).

Codicis Fuldensis Novi Testamenti, qui, cum pertinet ad quintum decennium saec. VI (cf. Ern. Ranke. edit., 1868, p. viii), opus Hieronymi nobis tradit. In praeterito quoque *i* litteram pro *ie* interdum habet codex, velut *eicerunt* p. 109. 16 R. = Eu. Matth. 21. 39, et p. 118. 13 R. = Eu. Iohan. 9. 34, alia (cf. Ranke. p. xxvii).

His igitur inspectis ne unum quidem exemplum *ii* scripti inveni. Haec ergo geminatio quam raro sit scripta post consonante exeuntem praepositionem apparet. Nam quater tantum ante XII saeculum se mihi obtulit quaerenti, in Vergili videlicet P et V libris qui ambo ad IV vel V saeculum pertinent, in Moreti B qui IX saeculi est, in Plautique C XI saeculi, neque est frequens nisi XIV saeculo et XV. Cf. porro pp. 116–18 infra, ubi de hac re agitur cum vocalis est extrema littera praefixae syllabae.

Itaque grammaticos fuisse solos huius scripturae auctores videmus, nec quod in sermonibus duplicem *i* audirent, eo praecepta sua dabant, nam unum *i* dictum esse usque ab Augusto mortuo plane demonstrant cum correpta apud poetas prima horum syllaba verborum, tum ea quae narrant[1] Gellius (4. 17) et Marius Victorinus (K. VI. 67. 17); sed quia non solum similitudo poscere videbatur, ut *iacio* verbum, cum praefixa esset praepositio, *a* litteram in *i* converteret,[2] verum etiam versus antiquorum poetarum productas ostendebant primas syllabas, id quod vix intellegi posse putabant nisi consonans *i* adesset, ut positione fieret productio.[3] Nec quisquam dubitare potest, quin,

---

[1] Cf. pp. 88–89.

[2] Cf. Quint., Gell., Prisc. locos supra, pp. 88–89, citatos.

[3] Cf. Gell. ib.

quae duplicis *i* in codicibus exempla exstant, omnia grammaticorum praeceptis debeantur; etenim cum, litteris iam renascentibus, frequentissima fierent, tum maxime, lingua Latina iam non viva vigente, nitebantur docti in grammaticis antiquis.

Duplicem *i* ergo in verbi *iaciendi* compositis, quorum consonante finiretur prior pars, non scripsisse antiquos praeclare patet, neque quisquam, nisi Brambach[1] in priore libro nostris temporibus id scribendum docuit. Auditos tamen et consonantis et vocalis *i* sonos quoad productis uterentur primis syllabis, id docuerunt multi.

Huic autem doctrinae id obstat, quod temporibus de quibus agitur, id est antequam Augustus e vita excessit, geminationem eam litterarum, qua altera consonans fieret, altera vocalis, tolerare noluerunt Romani. Itaque quae vocabula recto casu *aius* vel *eius* litteris terminantur, ea omnia genetivo singularis et nominativo pluralis *ai*, *ei* litteris cadebant, dativo et ablativo pluralis *ais*, *eis;* numquam autem *aii*, *eii*, *aiis*, *eiis*.[2] Neque posteriore quidem tempore nisi apud grammaticos hoc alterum *i* accessit. Formae quae sunt *patrii*, *auxiliis*, similia, huc non pertinent, quoniam in eis utraque *i* littera vocalis habet instar; atqui etiam ea antiquiores *iei*, *ieis* litteris terminaverunt.

Primum igitur ad id testimoni quod est in inscriptionibus animum quaeso intendas. In Corporis Inscriptionum primo volumine, quod titulos continet qui ante Caesaris obitum incisi sunt, cum verborum *aius*, *eius* litteris finitorum genetivi singularis, nominativi dativi ablativi pluralis nullum sit exemplum, satis tamen faciunt haec exempli gratia citata: CI. II. 1129 PLEBEI[3]; 1587 POMPEI; 4970. 51–61 ATEI; 3695, a. 6 p. Chr. n., MAIS; IV. 1180, quae probabiliter

---

[1] Cf. pp. 84–85.

[2] Item *volgus*, *equos* vocabula et quae sunt similia primo demum saeculo p. Chr. n. duplicatam *u* litteram patiebantur, ut *vulgus*, *equus*, alia. Cf. Quint. I. 4. 11.

[3] *I* longam ne quis arbitretur indicare mixtum *i* consonantis et *i* vocalis sequentis sonum, nam non aliter sonari videtur quam *i* volgaris; sed ratione errorum, velut DÍCTATORI, CI. I. 584, non habita, productam vel vocalibus interpositam *i* litteram significat, velut in hoc eodem titulo Sulla dictatore inciso, exstat FELÍCI, et in 1079 et 1418. 19, quae incertae sunt aetatis, EÍVS. Raro quoque *Í* longa, ita ut *i* volgaris, scriptum legitur pro duabus *i* vocalibus, ut FILÍS in CI. II. 3877; MVniCIPÍ 3708; CONTROVERSIS in I. 199. 45, a. 117 a. Chr. n., et in Ter. Eun. 256–7 CVPPEDINARI, CETARI, LANI in A scribuntur, ubi numerorum ratio poscit *i* duplicem.

Tiberi aetate incisa est, MAI, POMPEIS, [all]EI (cf. ALLEI in 1179); 1181, 1186, 1189 POMPEIS.

Libri quoque antiquissimi cum identidem duplicatam *i* litteram habent, tum saepissime simplicem, velut in Livi codice Veronensi (cf. p. 91) sunt *plebeis* in 5. 2. 13; *Veis* in 5. 4. 10; 5. 46. 4; 5. 52. 10 (*Beis*); 6. 4. 5; alia, *Veiis* autem in 5. 5. 10. cf. etiam Neue. Formenl. I.[2] 99.

Iam ea quae grammatici praebent ad hanc rem pertinentia consideremus. Probus igitur Berytius, qui Domitiano imperatore floruit, docet (K. IV. 104. 22) *huius Gai, hi Gai, his Gais*, quamquam eum fuisse ipsum opinaremur, qui geminam *i* litteram scribendam iuberet. Apud Servium enim (Aen. I. 1) per unum *i Troiam, Graios, Aiax* scribi vetuisse dicitur[1] (cf. Ribbeck. Proleg. Verg., p. 138 et 174). Cassiodorius autem, qui sexto saeculo vixit, haec habet (K. VII. 206. 10): "Quidam *huius Pompei Tarpei, hi Pompei Tarpei, his Pompeis Tarpeis* per unum *i* scribunt; non nulli pusillo diligentiores alterum *i* his addunt. Ego quoque tertium[2] addendum praecipio, si enim, ut docui (vs. 6 infra, p. 108, citato), nominativus duo *i* habet pro duabus consonantibus, haec perire nulla declinatione possunt, quae tamen omnimodis modernus usus excludit," ubi verba illa, "quae tamen omnimodis modernus usus excludit," ab illo adiecta videntur, reliqua vero ex Caeselli scriptis, qui saeculo altero p. Chr. n. floruit, sunt adsumpta (cf. Guil. Schmitz. Beitr., p. 73, adn.). Ac Terentianus Maurus qui hoc saeculo extremo floruisse putatur, in versus suos induxit *Grăi*[3] vocabulum, quam licentiam minus facile potuisset adhibere si *i* consonans adfuisset.

Aliquid porro testimoni addunt illa *Graiugena, Troiugena* vocabula, quae, nisi *Graiigena, Troiigena* putidum et insolitum sonum dedissent, nullam sane causam sibi habuissent.[4]

---

[1] Cf. tamen Prob. (K. IV. 221. 8 et 257. 17) infra, p. 108, prolatum.

[2] Cf. Prisc. (K. II. 14. 10): Unde *Pompeiii* quoque genetivum per tria *i* scribebant, quorum duo superiora loco consonantium accipiebant, ut si dicas *Pompelli*; nam tribus *i* iunctis, qualis possit syllaba pronuntiari? Quod Caesari doctissimo artis grammaticae placitum est. (Cf. Lachmann. Comm. in Lucr., p. 371.)

[3] De Syll. vs. 453, K. VI., p. 339.

[4] Illae *Troiiugenas, Graiiugenarum* (*Graliug.* A) figurae, quas Lucretium I. 465 et 477 scripsisse, codice Leidensi A saec. IX teste, censuerunt Lachmann et

Itaque solus, qui *aii*, *eii* sonis favere videatur, est Caesellius. Priscianus enim (p. 94, adn.) id tantum agit ut rationem eius scripturae reddat quam male[1] arbitratur antiquorum esse. Namque Probus qui docuit *Graios* per *i* geminum oportere scribi, tamen *huius Gai*, *hi Gai*, *his Gais* iussit; atque Cicero cum *aiio*, *Maiiam*, *Aiiacem* scribere vellet,[2] nusquam dicitur *Gaiii*, *Pompeiii*, neque etiam *Gaii*, *Pompeii* similiaque scripsisse. Caesar autem si re vera per triplicem *i Pompeiii* et alia maluit scribere, eadem, qua Caesellius, cura commotus duas *i* litteras quas in nominativo scribebat, ut illum pleniorem *i* consonantis sonum inter vocalis positae exprimeret (cf. p. 107 sq. infra), declinatione perire noluit. At si ita scripsit, nihil eo demonstratur consonantem *i* enuntiavisse. Enuntiaverit autem; mos modo grammaticus fuerit, qui se in usu volgari consuetudineque numquam firmavit.

Brambach igitur, cum in libro Die Neugestaltung der Lateinischen Orthographie, pp. 197–8 praecipit, ut ab iis, qui hodie Latine scribant, *ii* et *iis* litteris exprimantur plurales nominativus, dativus, ablativus omnium vocabulorum quorum casus rectus *aius* vel *eius* litteris exeat, atque haec commendare studet non solum ex illo Prisciani loco et illo VERTVLEIEIS (CI. I. 1175) — quamquam hoc certo non demonstrat consonantem *i* litteram, excipiente *i* vocali, ut *Vertuleiis*, auditam esse, — verum etiam ex silentio, ut praedicat, grammaticorum de *i* et *is* litteris scribendis. Sed in hac re mihi non videtur obtemperandum doctissimo viro.[3] Namque quod testimoniorum habemus ex inscriptionibus, libris, grammaticisque, id universum adversatur ei haec praecipienti. Concedit ipse quidem in titulis per unum *i* scripta interdum inveniri huius modi verba, atque laudat MAIS Or. 5614 a. 219 p. Chr. n., 6112 quod est I. R. N. 3571, a. 387 p. Chr. n., POMPEIS Or. 5814, 6167 (5814 = CI. IV. 1180; 6167 = IV. 1189, cf. pp. 93–94, sup.).

Munro, non consonantis *i* sonum, vocali *i* sequente, nec vocalis quidem, consonante sequente, significant, sed consonantis tantum. Cf. p. 107 sq. infra.

[1] Cf. Lachmann. in Lucr. p. 371; Ribb. Proleg. Verg. p. 138: sed Brambach (Lat. Orthog. p. 195) adsentitur Prisciano.

[2] Cf. Quint. I. 4. 11; Vel. Long. K. VII. 54. 16 infra pp. 107–08, prolatos.

[3] Cf. autem eius Hülfsbüchlein für Lateinische Rechtschreibung § 14, ubi quasi in palinodia simplicem *i* dicit melius scribi.

Ergo mihi quidem certum esse videtur Romanos *abiicit*, *adiicit* reliqua non magis dixisse quam scripsisse: Quintilianum autem et Priscianum (pp. 88–89 sup.), cum *coniicit* et *iniicio* esse ab *iaciendo* dicerent, noluisse *i* consonantem, praepositione ante se posita, omnino amitti in figuris praesentibus, atque Gellium[1] non solum hoc eodem scrupulo commotum esse, sed ratione quoque, qua poetae antiqui haec verba ad versus accommodarent, quae ratio scilicet aliam mensuram praefixae syllabae poposcit atque ipsius tempore volgo audiebatur.

Haec igitur ratio pronuntiandi si spernenda est, nec vocalem praepositionis, cum consonante exit, produci licet nisi si *s* vel *f* littera *in* vel *con* praepositionem insequitur,[2] quo tandem modo arbitremur haec verba, libera re publica, dixisse Romanos?

Non desunt in libris, nec etiam in inscriptionibus, indicia quae persuadeant, id verbum quod est *iacio*, cum praepositionibus consonante finitis subiungi inciperet, *a* litteram cum *e* littera commutasse. Cuius rei inscriptiones unum exemplum praebent, *conieciant*[3] in CI. I. 198. 50, a. 123 sive 122 a. Chr. n. (v. CI. p. 56).

In Plautinis[4] libris, etsi haec per *e* facta scriptura non apparet, vestigia tamen eius quater deprehendimus. Poen. 1174 (octon. anapaest.): —

Fuit hódie operae pretiúm quoivis qui amábilitati animum *ádiceret*

ubi *adiecerit* habet F (quo de codice v. p. 89 sup.), *adiceret* A. Mil. 112: —

Conícit in navem míles clam matrém suam

ubi *contegit* quod est in CD codicibus videtur ex *coniecit* corruptum. Truc. 298: —

Út pereat, ut eum *íniciatis* ín malam fraudem ét probrum

inleciatis (corr. *illeciatis*) habet A quod Schoell retinet, *iniciatis* BCD.

---

1 Ribbeck in Proleg. Verg., pp. 138–9 putat Gelli praeceptum totum esse Probi, vel saltem a Sulpicio Apollinari (cf. Gell. 4. 17. 11) ex huius commentariis excerptum. Cf. Kretzschmer. de Gell. Fontibus, p. 90.

2 Cf. Gell. 2. 17; 4. 17. 6.

3 Cf. ind. Inscr. a.

4 Cf. ind. Plaut. a, c.

Mil. 623 : —

Eám pudet me tíbi in senecta *obícere* sollicitúdinem

obveccere in D fortasse ex *obiecere* est corruptum ; *obiceret* ante rasuram habet B codex, *obiicere* C.

Terenti[1] codices unum exemplum praebent, Ad. 710 : —

Itaque ádeo magnam mi *íniecit* sua cómmoditate cúram

ubi *iniecit*, quia A cum reliquis (*e* in ras. F) et Donatus in lemmate habent, videtur pro praeterito habitum esse ; quam prave autem, indicat cum contextus sermonis, tum proximus versus, "Ne imprudens *faciam*" . . .

In ea sententia, —

Fórtior qui cúpiditates ést quam qui hostes *súbicit*,[2]

quae a Vincentio Bellovacensi citata nunc commode inspici potest in Ribbecki Comicorum Fragmentis, p. 368. 49, *subecit* traditum est α et γ codicibus. Huic scripturae quamvis causae potuisset esse obscura distinctio *i* brevis et *e* brevis sonorum,[3] quoniam tamen prima producta est syllaba, fortasse olim *subiecit* scriptum est, unde *i* consonans incuria excidit.

Ciceronis[4] operis de Divinatione A et V codices, decimo saeculo descripti, habent *abiecit* in 1. 48. 106 (vs. hexam.) : —

Abiecit efflantem et laceratum adfligit in unda.

In Vergili[5] Aeneide 6. 421 : —

Obicit. ille fame rabida tria guttura pandens

Priscianus (K. II. 349. 15) *obiecit* legit, testibus libris Lugdunensi et Sangallensi (*obiiecit* G), qui uterque ad nonum saeculum pertinet.

T. Livium hanc scribendi rationem interdum certe adhibuisse bene testantur ex optimis codicibus non nulli. In 10. 8. 3 : —

et nunc tribunus . . . quinque augurum loca, quattuor pontificum *adicit*, in quae plebei nominentur eqs.

---

1 Cf. ind. Ter. a.

2 Cf. ind. Rell. a.

3 Cf. Luc. 7. 574 ubi pro *subicit* habent non nulli libri *subigit* vel *subegit.*

4 Cf. ind. p. 138, Cic. a.

5 Cf. ind. Verg. a.

et in 10. 37. 14:—

Fabius ambo consules . . . res gessisse scribit . . . sed ab utro consule, non *adicit* eqs.

adiecit habent tres praecipui ad scripturam librorum a primo ad decimum confirmandam codices, Mediceus (M) saec. XI, Parisinus 5725 (P) saec. X, Upsaliensis (U) saec. X-XI. Cf. Madvig. Emend. Liv. edit. sec., 1877, p. 226 et Müller-Weissenb. edit. Liv., 1890, app. crit. ad hos locos. Librorum autem a vicesimo primo ad tricesimum praecipuus codex, Puteanus sive Parisinus 5730 (P) saec. V-VI, habet in 22. 19. 2:—

Hasdrubal ad eum navium numerum . . . decem *adicit*, quadraginta navium classem Himilconi tradit eqs.

adiecit, quod praesentis esse temporis indicat illud *tradit* verbum quod sequitur. Reiecta tamen hac scriptura, *adiectis* participium supponunt Luchs, Zingerle, Müller in edit. oct. 1891. Item in 26. 19. 2 habet P codex *ubiecere* pro *subicere*, cf. Luchs. app. crit.

Plinium autem hunc modum scribendi usurpasse non credo, etsi in N. H. 7. sect. 1. 2 *abiecit* habet V codex (K a Silligio notatus) saec. XI, *abicit* reliqui. Eius enim tempore non iam *iecit*, sed *icit* moris erat in *iaciendi* verbi compositis.

Nec illorum vetustissimorum codicum, quos pp. 91–92 supra laudavi, ullus praebet huius rei exempla.

Ex Lachmanni commentario Lucretiano, p. 128, hoc excerpsi cuius prior pars consonante terminatur[1]: *obieciemus* in Digestis Florentinis, quae dicuntur, XLVII. 20. 3. § 1, hoc est, in libro Florentino, qui saeculo VI-VII descriptus, digesta Iustiniana continet. Conferas, si vis, Mommseni edit. 1870, vol. I. p. xxxx.

Schuchardt denique in libro, quem, Vokalismus des Vulgärlateins inscriptum, a. 1867 prodidit, vol. II. p. 4 haec profert ex codice Gothano Euangeliorum, qui saeculo septimo (cf. III. p. 4) scriptus est: *adiecientur* 44. b. 12; 319. b. 15; *iniecient* 362. a. 2. Haec exempla tametsi mihi non fuit facultas ut comprobarem, facile tamen

---

1 Illud *coniecìant*, quod Lachmann ex Lege Servilia profert, non aliud est atque meum exemplum quod datur in Indice I, a. 2.

illi viro docto credere possumus, namque alias accuratissimum et fide dignissimum eius esse librum inveni.[1]

Quoniam igitur cum haec satis multa exsistunt exempla, quae *abiĕcit*, *adiĕcit* aliaque ostendunt, tum *i* consonans necesse est adfuisse, quo produceretur syllaba prima, mihi quidem videntur hae formae satis probari. Communis enim volgarisque usus, quo in compositis *a* brevis in *i* correpta est, *iaciendi* formas non nisi *i* consonante eiecta adficiebat; nam aliter esset profecto auditus ille *i* consonantis ante *i* vocalem positi sonus, quem linguae Latinae non fuisse satis plane nobis videmur supra pp. 93–95 indicavisse. Conferas etiam illud *societatem* vocabulum, quod, etsi in eo non agitur de *i* consonante, tamen per *o* litteram in *e*, non in *i* correptam sonum difficilem durumque vitavit.

Abiecio ergo, *abiecit*, *adiecio*, *adiecit* et cetera primo audita esse censeo cum *iaciendi* verbo praepositiones inciperent praefigi, neque desita audiri certe inter poetas atque eos qui litteris humanitateque politiores erant usque ad extremam Augusti aetatem. Mutatio tamen illa, qua *i* littera fieret ab *e*, iam satis antiquo tempore incipiebat haec verba adficere. Quod cum fieret, *i* consonante omissa, iam praefixa syllaba non producebatur positione, et *ăbicio*, *ăbicit* similiaque audiebantur. Has formas autem dixisse hoc tempore imperitos solos rudesque, e quibus volgo oriuntur ea quae ex ingenio sunt linguae, est veri simillimum, quia ante Augusti obitum non nisi apud Naevium et Plautum exstant, quaterque tantum apud eos. Cf. Naev.[2] vs. 94, p. 23 R: —

Immó quos scicidi in iús conscindam atque *ă'biciam.*

Plaut.[3] Asin. 814: —

Praerípias scortum amánti atque argentum *ŏ'bicias.*

Merc. 932: —

Sánus non es. quín pedes vos ín curriculum *cŏ'nicitis.*

Rud. 769: —

Iam hércle ego te contínuo barba arrípiam, in ignem *cŏ'niciam.*

---

[1] Cf. etiam Seelmann. Aussprache des Lateins, p. viii.

[2] Cf. ind. Rell, b.

[3] Cf. ind. Plaut. b.

Pro hoc *coniciam* habent CD codices *coiciam*, itaque illud *conicitis* in Merc. 932, ut etiam omnes formae *coniciendi* verbi quas infra in indice Plauti sub littera c enumerabimus, *coiciendi* potuerunt esse; sed hae breviores formae minus placent[1] apud Plautum, quod nullo altero loco sunt codicibus sustentatae.[2] Illarum quoque omnium formarum quae sunt in Plauti indice c, Terenti b, Reliquorum c enumeratae, priores partes liceat, si quis velit, corripere. Sic *ăbicio*, *ăbiciam* et reliqua, non *abiecio*, *abieciam* audiamus. Haud tamen probabile hoc esse mihi videtur, nam illa supra dicta quattuor exempla sola sunt, quae primae correptionem postulant; longae autem certo sunt hae syllabae apud Plautum decies, apud Terentium reliquosque scaenicos poetas octies.[3]

Cum igitur Naevius et Plautus et quivis alius correpta prima syllaba dixerunt haec verba, haud multum licet dubitare, puto, quin etiam scripserint *abicio*, *abicit* et alia similia per *ic* litteras.[4] At non *abicio*, sed *abiecio* plerumque hoc tempore et dici et scribi solebat, neque est illius ullum formae vestigium, exceptis illis quattuor exemplis, dum usque ad extremum saeculum alterum a. Chr. n. perveniatur. Ex anno 105 a. Chr. n. est nobis servata lex parietis faciendi, quae *proicito*[5] figuram continet. Sed septendecim annos prius in lege de pecuniis repetundis lata insculptum est *conieciant*.[6] Inter annos igitur 122 et 105 a. Chr. n. haec verba scribendi ita se consuetudo mutaverat, ut etiam in leges, quae veteres maxime amant formas, illa recentior per *ic* litteras facta scriptura admitteretur. Licet ergo conicere, ut mea fert opinio, illum sonum, qui his litteris significaretur, satis frequenter paulo ante a. 105 auditum esse, eumque sane in eorum sermone, qui politioris humanitatis non expertes fuissent. Anno demum 44 a. Chr. n. sunt incisa in lege Ursonensi illa *inicere* et *reiciantur*,[7] neque exstat eo interim spatio ullum in inscriptionibus

---

1 Cf. Lachmann. in Lucr. p. 188.

2 Cf. ind. Plaut.; etiam p. 122 inf.

3 Cf. ind. Plaut. a, Ter. a, Rell. a.

4 Sic etiam scribebant cum per diphthongum dicta sunt verbi *iaciendi* composita. Cf. p. 114 inf.

5 Cf. ind. Inscr. a, 3. Huius formae cum vocali exeat praepositio, nihil tamen hoc interest ad hanc rem.

6 Cf. ind. Inscr. a, 2.

7 Cf. ind. Inscr. a. 4 et 5.

exemplum. Itaque, quantum suspicamur, haec forma usque ab anno 105, vel paulo ante, volgari usu scribebatur, atque in inscriptionibus inde ab hoc tempore sola est quam reperimus, in codicibus nostris longe frequentissima.

Verum tamen quamquam *icio*, *icit* et reliqua volgo in compositis et scribebantur et dicebantur, tamen *iecio*, *iecit* ceteraque apud poetas certe eruditosque maxime valuerunt usque ad Augustum mortuum; quas formas pronuntiasse eos satis indicant numeri, scripsisse autem, illae scripturae, quas supra pp. 96–98 laudavi. Plerumque tamen qui eorum opera descripserunt, volgari mori obsequentes, illas *iecio* formas in *icio* converterunt; mox vetus scribendi modus fere in oblivionem adductus est.

Primum [1] illius brevioris formae in herois exemplum dat Moretum carmen in versu 96: —

Spargit humi atque *ăbicit* [2] . . .

Sed is, qui hoc carmen composuerit, cum productam syllabam numeri gratia in versu 99 cuperet, non dubitavit illam veterem mensuram usurpare: —

Caseus *ādicitur* . . .

id quod fortasse indicat veterem sonum nondum periisse, nisi forte mavis putare per imitationem scilicet veterum hoc fieri.

Eorum, qui aetate inferiores fuerunt, poetarum semper correptam primam syllabam adhibuerunt [3] Germanicus, Manilius, Seneca (sed excipiendae [4] fortasse *dissicere* verbi formae; cf. ind. a), Lucanus, Martialis, Iuvenalis. Duas habet Phaedrus in senariis formas, quae sublatione incipientes mensuram non significant. Et correptas et productas Silius induxit in versus praefixas syllabas; sin autem excipimus *dissice* formam et *superiacit* — quo in verbo in temporibus praesentibus simplicis *iaciendi* formae subiunctae praepositionibus

---

[1] Cf. ind. Ov. b.

[2] Cf. ind. p. 145, Moret. a.

[3] Vid. exempla in indice, p. 145 sqq.

[4] Duo exempla habet ille (cf. ind. c) quorum prima syllaba producta an correpta sit incertum est. Haec duco in correptis, quoniam productionem nisi in *dissicere* verbo non videtur Seneca usurpasse. Sed etiam hoc in verbo codicibus non credendum est. Cf. p. 126 inf.

mutari non videntur[1] — plures correptas habet. Valerius Flaccus autem et Statius Vergilium imitari ita studebant, ut illa productione paene constanter uterentur, non magis tamen Silio intellegentes quo modo veteres eam effecissent, nisi forte exemplaria habuerunt, quae veterem scribendi rationem conservarint; itaque aut vocalem praepositionis tractim pronuntiabant, aut una *i* littera scripta, sonum consonantis *i* et vocalis *i* sequentis in una syllaba efferebant. Semel per neglegentiam, ut opinor, illam sua aetate volgarem[2] correptionem adhibuit Statius in Thebaide 7. 4:—

Sidera proclamatque *ădici* . . .

Eodem modo veterum consuetudinem imitati sunt Serenus, Ausonius, Claudianus, alii; atque hic pariter cum Statio non caret volgaribus formis.

Haec poetarum testimonia si cum enarrationibus Gelli (4. 17) et Mari Victorini (K. VI. 67. 17), quas supra p. 88 protuli, comparamus, plane apparet, ut mihi videtur, inde ab extrema Augusti aetate cum correpta prima syllaba constanter audita esse haec composita.

Ille autem vetus sonus, quo productio praefixae syllabae efficiebatur, sequentibus illis *iecio*, *iecit* aliisque, quamvis plane periisset inter eruditos litteratosque, ut praeclare demonstrat Gelli locus, ubi numeros apud veteres poetas observasse dicuntur alii vocali praepositionis producenda, alii duabus *i* litteris, quarum prior consonans esset, efferendis, est tamen putandus, mea quidem sententia, haud ubique omnino periisse, sed interim se propagasse aut inter eosdem imperitos rudesque homines a quibus *icio* et similia principium duxere[3] aut in provincialium linguis. Illae enim formae, quae p. 98 supra proferuntur ex Digestis Florentinis et codice Gothano Euangeliorum, indicio sunt[4] illum *iecio* sonum in aliquibus locis multo post valuisse, quam Romae inter eruditos certe periisset. Licet

---

[1] Cf. Verg. A. 11. 625 (ind. a) *superiacit;* Val. Max. 3. 2. ext. 7 *superiaceretur* habent omnes codd.; Plin. N. H. 7. 2. 2 § 21 *superiaci* codd. plerique, *superari* unus.

[2] Cf. L. Müller. de Re Metr. p. $291^{2} = 250^{1}$.

[3] Cf. p. 99 sup.

[4] Cf. praeterea p. 113.

enim Digestorum librarius describere vel imitari potuisset, quae in antiquis legibus viderat, non tamen facile arbitrari possumus, quae in codice Gothano sint exempla, vetere more scribendi adfecta esse, quoniam non ante medium alteri saeculi p. Chr. n. Euangelia Latine reddita sunt.

Unius rei restat ut mentionem faciam, quae ad has consonante exeuntis praefixas syllabas pertinet. Servius enim in opere de Finalibus (K. IV. 450. 12) haec dicit: "Item ex ipsis praepositionibus *ad* et *ob* et *in* et *sub* diversae in verbis ponuntur. Nam corripiuntur cum crescendo disyllabum reddunt, ut *adit*, *obit*, *init*, *subit;* indifferenter sunt cum trisyllabum faciunt, ut *adicit*, *obicit*, *inicit*, *subicit;* producuntur tantum cum tetrasyllabum ex se reddunt, ut *adicio*, *obicio*, *inicio*, *subicio.*" Haec igitur cum narret, patet in promptuque est ex usu eorum poetarum, qui dactylicos versus scriberent postquam *icio* sonus volgaris factus esset, argumenta eum deduxisse. Nam, enumeratione mea examinata, cum nullum ei adversatur exemplum, id facile intellegi potest, quia in dactylicis numeris nulla ratio est, nisi praepositione producta, qua *adicio* forma et aliae similes in versus induci potuerint. Sin autem illa Naevi et Plauti exempla, *ăbiciam*, *ŏbicias*, *cŏnicitis*, *cŏniciam* (cf. p. 99 sup.) reminiscemur, Servi verba in loquendi consuetudine non niti praeclare apparebit.

Hactenus igitur, ut iam breviter recognoscam argumentum, haec conatus sum demonstrare: Cum consonante terminaretur praepositio, *iicio* scripturam et sonum apud antiquos in grammaticorum tantum praeceptis exstitisse, nec saepe esse adhibita, quoad litterae renascerentur saeculo XIV; *icio* autem ferme scriptum legi et in inscriptionibus et in veterrimis libris manu scriptis, quamquam semel in illis, in his non numquam apud scriptores, qui ante Tiberium imperatorem vixerint, *iecio* forma aut exstet, aut vestigium sui reliquerit; quoniam igitur per illud *icio* non significetur[1] sonus, quo intellegere possimus numerorum rationem apud poetas, qui praefixam syllabam produxerint, sin autem *iecio* formam sumamus, facile illa ratio explicetur, veri simillimum esse *iecio* non solum scriptum, verum dictum

[1] Non adsentior Lachmanno aliisque qui duplicem sonum per unum *i* scriptum repraesentari docent. Cf. pp. 84–86 sup.

quoque esse a poetis politioribusque usque ad extremam Augusti aetatem; sed *icio* tamen sonum se prodere iam in versibus Plauti et Naevi, atque ad extremum alterum saeculum a. Chr. n. ita frequenter audiri, ut scribendi ratio respondere sono inciperet, ab eoque inde tempore *icio* magis volgo scriptum quam *iecio:* Tiberio autem imperatore *iecio* formam iam neque auditam inter eos qui litteris imbuti essent neque scriptam, attamen sive in multitudine imperita rudique, sive inter agrestis et rusticos semper remansisse; verum *icio* cum inter doctos moris esset continenter, poetas aliquot Vergilium aliosque veteres ita studiose imitatos, ut quam productionem praefixae syllabae apud illos perspexissent, eam in suos versus, quamvis ignari antiquae dicendi rationis, inducerent.

III. *Iaciendi* verbi Composita quorum prior pars vocali terminatur.

Iam de *iaciendi* verbo agamus vocali finitis praepositionibus subiuncto. Praefixae syllabae, quae ad hanc rem pertinent, sunt septem numero, *de*, *e*, *prae*, *pro*, *co*, *re*, *tra*. Sed *prae* praepositio nihil ad hanc quaestionem prodest, quoniam nusquam apud poetas neque in inscriptionibus reperitur. *Praeicientes* est apud Festum p. 249. 34 M. = 324. 34 Thewr., sed Columella 8. 17. 10 *praeiaciuntur* videtur scripsisse, atque *praeiacitur* est Scauri codice Bernensi (B) saec. X traditum (cf. K. VII. 17. 6). Unde forsitan concludas hoc verbum, item ut id quod est *superiacio*,[1] simplicis verbi formam retinuisse.

Reliquas autem praefixas syllabas, quae omnes apud poetas reperiuntur, numquam necesse est corripere. In scaenicorum versibus cum possint corripi hae syllabae haud raro, velut in Plaut. Stich. 360:—

> Pérnam et glandiúm *deicite*. hic hércle homo nimiúm sapit.

Cas. 23:—

> *Eícite* ex animo cúram atque alienum aés; papae.

Mil. 205:—

> Déxterum ita veménter *eicit*; quód agat, aegre súppetit.

---

[1] Cf. p. 102 et adn. 1.

Pers. 320: —

Ego *réiciam;* habe animúm bonum. credétur; commodábo.

Ter. And. 382: —

Áliquam causam quam ób rem *eiciat* óppido. eiciát? cito.

Ph. 18: —

Ille ád famem hunc a stúdio studuit *réicere*

et in aliis,[1] omnes tamen aut per se longae esse, aut cum sequenti syllaba per diphthongum coniungi possunt. Itaque quoniam hi poetae ipsi exempla praebent, quorum certo producendae sunt syllabae primae, velut Plaut. Asin. 127: —

Sícine hoc fít? foras aédibus me *éici?*

Laber. vs. 83, II. p. 292 R.: —

Hoc vóluit clipeum cóntra pelvem *próici*

et alia,[2] atque ceteri poetae constanter produxerunt aut per diphthongum enuntiarunt, credamus licet omnia illa dubia produci oportere. Qua ratione sum ipse usus in enumeratione mea.

Sed harum praepositionum vocales, cum diversas per se mensuras habeant, sunt tamen omnes adfectae consonantis *i* excipientis natura. Nam ut consonante,[3] ita vocali cum praepositiones caderent, *iaciendi* verbum non est dubium quin primae sonum litterae diu servaverit.[4]

Hae igitur sunt productionis rationes: *de*, *e*, *pro* praepositiones vocalis litteras habent natura longas, *co* et *tra* autem compensant productis vocalibus extremas litteras amissas,[5] sed *re* producitur

---

1 Cf. ind. Plaut. d, e, f; Ter. c, d; Rell. d, e, f; etiam Lucil. b; Sen. d.

2 Cf. ind. Plaut. d; Rell. d; etiam Phaedr. b.

3 Cf. p. 96 sqq.

4 Cf. inf. p. 110 sqq.

5 Cf. Gell. 2. 17. 8 sq.: "*coligatus* et *conexus* producte dicitur. Sed tamen videri potest in his, quae posui, ob eam causam particula haec produci, quoniam eliditur ex ea *n* littera (cf. 4. 17. 6); nam detrimentum litterae productione syllabae compensatur." Etiam cf. Verg. G. 4. 257, *cōnexae;* A. 9. 410, *cōnixus;* ib. 1. 73, *cōnubio;* quibus in omnibus verbis *co*, non *con*, adhibitum esse apparet ex inscriptionibus librisque. Cf. Neue. Formenl. II.[3] pp. 865–67.

Alia est sententia non deductum esse illud *co* ex *com* (*con*), *sed com* (*con*) ex *co*, nescio quo addito. Confirmationem petit haec opinio ex linguis Germana et

non tantum *d* littera compensanda, quantum *i* consonantis proprietate quadam, qua, cum ea est inter vocalis posita, *i* vocalis litterae quasi umbra et imago ante eam audita, ut *a^i io*, *Ma^i ia*, sic adfecit antecedentis vocalis naturam, ut, etiam si illa brevis fuit, produceretur.[1] Nam cum *red* praepositio quibusdam verbis praefixa saepe adsimulata sit eorum primae litterae, velut *reppuli*,[2] *rettuli*, *rellatum* (Lucr. 2. 1001), *reccidisset* (Cic. Rep. 2. 8. 14), *redduco* (Lucr. 1. 228, etiam cf. Neue. Formenl. II.³ p. 923), aliorum (cf. CI. I. p. 593), tamen numquam *d* litteram amissam compensat vocali producenda;[3] atqui ante *i* consonantem *re* semper producitur, ut in *rēiecit* Verg. A. 5. 421; *rēiecti* ib. 11. 630; *rēiectura* Ov. M. 9. 513; *rēiecto* Sen. Thyest. 808; *rēiectat* Sil. 7. 722; *rēiecit* ib. 13. 726; et alia multa.

Gothica; nam alterius *ge* syllaba praefixa, alterius *ga*, cognatae sunt, ut videtur, cum *co*. (Cf. F. Kluge. Etym. Wörterb. der deutschen Sprache, 1889, s. v. *ge-*: "Verwandtschaft des Präfixes mit lat. *con-*, *cum* ist wahrscheinlich." Sed idem in edit. tert., 1883, scripserat "ist nicht sicher.") Cf. Germ. *gemein* et Goth. *gamainja* cum Lat. *communis* (*comoinem* in s. c. de Bacchanalibus CI. I. 196, a. 186 a. Chr. n., quo tamen tempore omnino non geminabantur consonantes; cf. *necesus ese Bacanal* vs. 4, *iousiset* vs. 9, alia).

Potest tamen *com* (*con*) primaria esse forma; nam in lingua Hibernica *com*, *con*, *co* pariter exstant, omnibusque muneribus praepositionis funguntur, ita autem adhibentur ut *con* ante medias (*com* ante *b*) et vocalis, *co* ante tenuis ponatur (cf. Ern. Windisch. Irische Texte mit Wörterb., 1880, p. 430 s. v. 3 *co*, *con-*, et Irische Grammatik, 1879, §§ 97, 99. 6, 245, 246, 247 b). In lingua Oscorum *com* (*kom*) solum exstat. Cf. *com preivatud* in tabulae Bantinae vs. 15 (Zvetaieff, Inscriptiones Italiae Inferioris Dialecticae, 1886, p. 70 et tab. III), *com atrud* (?) vss. 23–4, *kombened*, *kombenniefs*, [*ko*]*mparakineis*, *comparascuster* (ib. pp. 120–2). In tab. Bant. vs. 16 *con* (preivatud) errore videtur pro *com* scriptum esse. Apud Sabellicos quoque *kom* praepositio erat; cf. *kom alies* (ib. p. 3). Inscriptiones Faliscae *cuncaptum* et *comvivia* reddunt (ib. p. 26). *Covehriu* autem est ex Volscorum dialecto (ib. p. 20); atque Umbri, cum illud *com* (*kum*) praepositionem haberent (frequens post nomen suum ponitur cum *m* littera saepius omittitur, ut *verisco*, *esuku*), in compositis tamen *co* (*ku*) tantum usurpabant; cf. *comoltu*, *kumaltu* = 'commolito,' *comohota* = 'commota,' *conegos*, *kunikaz* = 'conixus,' *covertu*, *kuvertu* = 'convertito,' *kuveitu* = 'convehito.' Vide Bücheler. Umbrica, 1883, pp. 210–11.

[1] Recorderis quaeso quo modo *n* littera ante *f* vel *s*, aut *g* ante *m* vel *n* posita productam reddiderit antecedentem vocalem.

[2] Cf. Corssen. Ausspr. II.² pp. 466–8, qui aliorum alias rationes exposuit.

[3] Alia est Brixi sententia ad Capt. 918 elata, sed ibi *recclusit* potuit scribi vel certe dici. Aliud remedium petiit Fleckeisen.

I consonanti hanc fuisse proprietatem cum non prorsus certum sit,[1] veri tamen simillimum videtur. Cf. Seelmann. Musspr. d. Lat. p. 231: "Gewisse momente lassen es nicht zweifelhaft erscheinen, dass bis zum IV oder V jahrh. n. Chr. die bessere volkssprache mitlautendes *I* und *V* als halbvocale, also = *i̯* und *u̯* fortführte," item p. 230: "Die laute . . . wo also trotz des j-artigen beigeräusches ein *i* . . . deutlich durchtönt, nennen wir mit fug und recht 'halbvocale.'" At sane non semper. Nam neque cum ab initio verbi posita est, eo magis ultimam vocalem antecedentis verbi produxit (cf. Catul. 62. 3: Surgerĕ iam tempus . . .), neque tum cum in medio vocabuli *i* vocalem excepit, subsequente quoque vocali in eadem syllaba, illam *i* antecedentem longam reddidit. *Biiugus* enim, *triiugus*, *quadriiugus* et reliqua similia constanter brevibus primis syllabis utuntur. Sed si quam aliam vocalem atque *i* subsecuta est, tum tenuem vocalis *i* sonum ante se dedit, sed arte secum coniunctam, nec cum antecedente vocali in alia syllaba elatam;[2] nihilque referre utrum in simplicibus verbis an in compositis stet,[3] *re* syllaba constanter longa satis demonstrat.[4] Atque sic factus est ille plenior,[5] pressior,[5] latior,[5] pinguis[6] sonus *i* litterae, quo antecedens vocalis, si brevis fuit, evaderet longa, si vero producta, productior.

Hunc sonum ex vocali et consonante mixtum ut scribendo significarent, duabus *i* litteris opus esse putaverunt non nulli. Inde sunt illa *aiio*, *Maiia*, *Aiiax*, quae Ciceroni placuisse commemorant et Quintilianus, ubi dicit (1. 4. 11), "Sciat etiam Ciceroni placuisse *aiio Maiiam*que geminata *i* scribere; quod si est, etiam iungetur ut consonans"; et Velius Longus his verbis (K. VII. 54. 16): "Et in plerisque Cicero videtur auditu emensus scriptionem, qui et *Aiiacem* et *Maiiam* per duo *i* scribenda existimavit; quidam unum esse animadvertunt, si quidem potest et per unum *i* enuntiari, ut scriptum

---

1 Cf. L. Müller. de Re Metr. p. 292[2] (251[1]).

2 Cf. Corssen. Ausspr. I.[2] p. 302.

3 Cf. Schmitz. Beitr. p. 77; dissentiunt Prisc. K. II. 14. 14. inf. p. 109 citatus et Corssen l. c.

4 Cf. etiam Mar. Victorin. K. VI. 35. 25: "quamquam et geminata *i* scribere iubeamur, ut *proiiecit*" (in temp. praeterito).

5 Cf. grammaticorum locos infra prolatos.

6 Cf. Pompeium K. V. 103. 33 sqq.

est. Unde illud quod pressius et plenius sonet per duo *i* scribi oportere existimat." Eiusdem modi sunt etiam illa Lucretiana *Troiiugenas* et *Graiiugenarum* supra p. 94 adn. 4 laudata, atque *Troiianis* in 1. 476, quae potius Ciceronis esse quam Lucreti equidem arbitrer. Illam enim geminationem usurpatam esse Lucreti aetate non probabile videtur, quoniam in CI. I. nullum est exemplum.[1] In CI. II tamen haec inter alia exstant aetatis incertae exempla: 1076 POMPEIIVS; 1923 EIIVS; 4587 CVIIVS; etiam haec, quae accuratius sonum prae se ferunt; EIÍVS 1964. I. 41 et saepe; CVIÍVS ib II. 10; et alia. Qua ex ratione scribendi prave factum est illud POMPEÍIVS CI. IX. 3748 et alia quae sunt similia.[2] Plauti quoque Ambrosianus rara exempla habet, quorum videas exempli gratia MAIIORES Trin. 642.

Grammatici autem saepius poscunt ut haec *i* littera consonans inter vocalis posita per geminationem scribatur. Cf. Caesellium apud Cassiodorium (K. VII. 206. 6): "*Pompeiius*, *Tarpeiius*, et *eiius* per duo *i* scribenda sunt et propter sonum (plenius enim sonant) et propter metra; numquam enim longa fiet syllaba, nisi per *i* geminum scribatur." Cf. etiam Diomedem (K. I. 428. 10): (positione longa fit syllaba) "cum correpta vocalis desinat et interposita *i* excipiatur a vocali . . . quoniam inter duas vocales duarum syllabarum posita *i* geminatur. Sic enim scribi per geminatam litteram metri ratione desiderat, si quidem potestatem tuetur duplicis consonantis." Conferas porro, si velis, Marium Victorinum in K. VI. 24. 21; 27. 9; 35. 22: Maximum Victorinum K. VI. 197. 16.

Sed alii, duplicis soni haud ignari, unam scribi litteram voluerunt; veluti Probus (K. IV. 221. 8): "*I* littera duplicem sonum designat, una quamvis figura sit, si undique fuerit cincta vocalibus"; itemque (257. 17): "*I* littera cum fuerit in medio vocalium, ita ut consonans sit, duplicem sonum reddit"[3]; et Velius Longus (K. VII. 55. 2): "At qui *Troiam* et *Maiam* per unum *i* scribunt, negant onerandam pluribus litteris scriptionem, cum sonus ipse sufficiat; hanc enim naturam esse quarundam litterarum, ut morentur et enuntiatione

1 EÍVS tamen est satis antiquum; cf. p. 93 adn. 3.

2 Cf. Schmitz. Beitr. p. 84 sqq. et Seelmann. Ausspr. d. Lat. p. 236.

3 At cf. Serv. Aen. 1. 1 supra p. 94 laudatum.

sonum detineant. . . . atque ipsa natura *i* litterae est ut interiecta vocalibus latius enuntietur"; etiam Donatus in K. IV. 368. 27 et Beda in K. VII. 229. 30.

Quamvis male[1] opinati sint hanc *i* esse duplicem consonantem, atque ideo positione produci multas vocalis, quae re vera natura aut compensatione producuntur,[2] tamen praeclare testificantur *i* litterae vocalibus interpositae fuisse sonum duplicem.

Summam quandam omnium harum doctrinarum dat Priscianus, ubi duplicem et simplicem *i* litteram distinguit (K. II. 13. 27): "Et *i* quidem modo pro simplici modo pro duplici accipitur consonante: pro simplici, quando ab eo incipit syllaba in principio dictionis posita, subsequente vocali in eadem syllaba, ut *Iuno*, *Iuppiter;* pro duplici autem, quando in medio dictionis ab eo incipit syllaba post vocalem ante se positam, subsequente quoque vocali in eadem syllaba, ut *Maius*, *peius*, *eius*, in quo loco antiqui solebant geminare eandem *i* litteram et *maiius*, *peiius*, *eiius* scribere, quod non aliter pronuntiari posset, quam si cum superiore syllaba prior *i*, cum sequente altera proferretur, ut *pei-ius*, *ei-ius*, *mai-ius";* addatur quod est in K. II. 14. 14: "Pro simplici quoque in media dictione invenitur, sed in compositis, ut *iniuria*, *adiungo*, *eiectus*, *reiice*.[3] Vergilius in bucolico (3. 96) proceleusmaticum posuit pro dactylo: Tityre, pascentes a flumine *reiice*[4] capellas."

At male non modo hoc tale discrimen fecit, verum etiam separavit[5] illa duo *i* in duas syllabas. Etenim in compositis non semper simplex est *i* littera, sed tum modo cum consonantem aut *i* vocalem excipit, ut in *adiungo, biiugus* et similibus verbis; neque separandus in duas syllabas est ille mixtus sive duplex sonus, namque aliter unum *i* omnino non suffecisset; atque Priscianus cum illa dicit, conatur tantum scripturam interpretari, quae non iam in usu fuit, cuiusque sonum ipse non intellexit. Cf. K. III. 467. 15: (in *Troia*

---

1 Cf. Schmitz. Beitr. pp. 73–4.

2 Cf. Aufrecht. Zeitschr. f. vergl. Sprachf. I. 225 sqq. et Corssen. Ausspr. I^2 303 sqq.

3 Sic optimi libri, *reice* H_2 ex *reicere*, Hertz.

4 Cf. Brambach. Lat. Orthog. p. 199 adn.

5 Ad eum tamen accedunt viri docti Schmitz (Beitr. p. 75) et Seelmann (Ausspr. d. Lat. pp. 235–6).

vocabulo) "solent . . . Latini . . . pro consonante duplici accipere *i* et eam a priore subtrahere syllaba et adiungere sequenti; quamvis antiqui solebant duas *ii* scribere et alteram priori subiungere, alteram praeponere sequenti, ut *Troiia*, *Maiia*, *Aiiax*." Ibi quoque vehementer errat[1] ubi dicit (K. II. 303. 5): "Idque in vetustissimis invenies scripturis quotiens inter duas vocales ponitur, ut *eiius*, *Pompeiius*, *Vulteiius*, *Gaiius*; quod etiam omnes, qui de littera curiosius scripserunt, affirmant." Nusquam enim exstat id duplex *i* in CI. I, hoc est in titulis aetate superioribus a. 44 a. Chr. n., neque est in libris frequens traditum. Qui igitur maxime id sustentarunt, erant grammatici, sed ne eorum quidem omnes, ut patet ex testimoniis quae supra protuli.

Hac digressione iam finita, qua apparet *i* consonantem vocalibus interpositam effecisse suapte natura, ut, quae vocalis esset ante se posita, *i* vocali sola excepta, produceretur, nunc revertendum ad propositum nostrum.

Non modo *i* consonantem *iaciendi* verbi diu retentam esse post vocali finitas praepositiones satis significat constans harum omnium productio, verum etiam *iecio* primo dictum et scriptum, cum verbum et praepositio in unum convenissent[2] plura indicia sunt quam in illis compositis quorum prior pars consonante cadit.

CI. IX. 782: *proiecitad* in lege antiqua.[3]

In Plautinis libris etsi nullum est certum exemplum, videtur tamen *eieciam* olim esse scriptum in Truc. 659[4]:—

Hoc íctu exponam atque ómnis *eiciám* foras

ubi pro *eiciā* D codicis habent B et C *ieciam* (*ieciā* B).

Lucilius *eiecere*[5] scripsit, si Noni (300. 25 M.) codicibus credendum est, in versu dactylico (XXVIIII. 106. M.):—

Eiecere istum abs te quam primum et perdere amorem

---

[1] Cf. Schmitz. Beitr. p. 83; Ribbeck. Proleg. Verg. p. 138.

[2] Quo modo prius scripserint, quam facta sit verbi et praepositionis inter se coniunctio, exemplo est illud *endo iacito*, quod erat in XII tabulis, teste Festo p. 313 M. = 452.7 Thewr. Cf. R. Schoell. Legis duodecim tabularum reliquiae, 1866, p. 115.

[3] Cf. ind. Inscr. a. [4] Cf. ind. Plaut. f. [5] Cf. ind. Lucil. b.

hoc enim scriptum legitur in Lugdunensi (L) et ex correctione in Harleiano (H), qui uterque est IX saeculi, atque huc spectat fortasse *ecicere* scriptura quam ante correctionem habuit Bambergensis (B) saec. IX-X, unde profectum est id *eiccere* codicis Guelferbytani (G) saec. X-XI. *Eicere* habent H_1, Gen. (saec. X), B_2, G_2.

Varronem[1] quoque hanc scribendi rationem usurpasse eiusdem Noni codices testificantur. In versu enim, qui in 452. 9 M. citatus est,

Frígore torret vénatum *eiecit* ieiunio véllicum

cum *eicit* habeant LH_2G, *eiecit* est in BH_1.

Lucreti[2] codices Leidenses (A saec. IX, B saec. X) habent *eiecit*, ceteri *eicit*, in 2. 951: —

Dispersamque foras per caulas *eiecit* omnis

sed in 3. 513: —

Addere enim partis aut ordine *traiecere* aecumst

nulla varia esse scriptura videtur.

Catullus[3] autem unum incertum exemplum praebet ubi *proiciet* verbum in 64. 370: —

Proiciet truncum submisso poplite corpus

legitur; nam *proiecit* in Ambrosiano (A) saec. XIV scriptum erat ante correctionem, et in Berolinensi (L) saec. XV.

Ex Vergili[4] codicibus habent sex hanc vetustiorem scripturam: Romanus (R) saec. IV-V, *deiecit* in G. 1. 333: —

Deiecit, ingeminant austri et densissimus imber

A. 8. 428: —

Deiecit in terras, pars imperfecta manebat

ib. 10. 753: —

Deiecit: at Thronium Salius, Saliumque Nealces.

Mediceus (M) saec. IV-V *deiecit* in G. 1. 333.

---

1 Cf. ind. p. 136 Varro.
2 Cf. ind. Lucr. b.
3 Cf. ind. Catul. b.
4 Cf. ind. Verg. b.

Bernensis 184 (c) saec. IX *deiecit* in A. 10. 753, 11. 642 : —

Deiecit Herminium nudo cui vertice fulva

proiecit ib. 5. 776 : —

Proiecit in fluctus ac vina liquentia fundit

traiecit ib. 9. 634 : —

Traiecit. I, verbis virtutem inlude superbis.

Codex Gudianus (γ) saec. IX secunda manu, et Minoraugiensis (m) saec. XII, et ex correctione Bernensis 165 (b) saec. IX *traiecit* ib. 9. 634. Videtur etiam Priscianus, vel potius fortasse posterior eius operis librarius, *deiecit* descripsisse in versu A. 10. 753 citando; cf. K. III. 293. 16.

Ovidi codex Laurentianus 36. 12 (λ) saec. XI-XII habet in margine *deiecit* in M. 11. 386, quamquam in versu est scriptum *dissidit*, atque in plerisque libris est *dissicit* aut *disicit* vel plane scriptum vel sat indicatum : —

Dissicit[1] (disicit) hos ipsos, colloque infusa mariti.

Stati[2] unus Bambergensis (B) saec. XI exhibet hoc genus formam, *eiecit* quidem in Th. 6. 770, ubi non nulli habent *eicit* aut *eiicit*, sed Puteanus (P) saec. X, Gudianus 52 (G) saec. XIV, Helmstadiensis (H) saec. XV tradunt id quod sententia postulat, *reicit*[3]: —

Et patria vigil arte Lacon hos *reicit* ictus.

Itaque illud *eiecit* codicis B ex *reiecit* decurtatum esse videtur.

Liviani codices haec suppeditant: *eiecit* in 1. 41. 1 : —

Tanaquil inter tumultum claudi regiam iubet, arbitros *eicit*

et *deiecit* in 1. 48. 3 : —

Tarquinius . . . medium arripit Servium elatumque . . . per gradus *deicit*

quae quidem aperte praesentis sunt temporis,[4] et *deiecit* in 1. 40. 7 : —

alter elatam securim in caput *deiecit*, relictoque in vulnere telo ambo se foras eiciunt

---

1 Cf. ind. Ov. a. 2 Cf. p. 114 inf. 3 Cf. ind. Stat. c.

4 Cf. Madvig. Emend. Liv. edit. sec., 1877, p. 226; Müller-Weissenb. edit. oct., 1885, app. crit.

quod, cum praesentis esse putaverit Hertz,[1] potest esse praeteriti. Etiam in 22. 37. 9:—

ut praetor . . . classem in Africam *traiceret*

Puteanus (P) saec. V-VI habet *traieceret.*

Haec praeterea dat Lachmann in commentario Lucretiano p. 128: e Caelio Antipatro Nonius 89. 6 *deiecit* ("congenuclat percussus *deiecit* dominum"). In Caesaris de bello Gallico comm. 4. 28 exemplaria duo (Parisinum 5763 (B) saec. X et Vossianum primum sive Lugdunensem 53 (C) saec. VI laudat Nipperdey, Holder autem B solum) *deiecerentur.* In apocalypsi Iohannis 11. 2 unus codex ("unum e meis") *eiece* (cf. eius editionem Novi Testamenti. *Eice* autem habet codex Fuldensis.[2] v. edit. Ranke. p. 446.12).

Ex Schuchardti libro[3] II, 4 haec adsumpsi: Digesta Florentina[4] IX. 2. 31 *deieceret;* IX. 3. 1. § 4 et XLIII. 16. 3. § 12 *deieceretur;* IX. 2. 53 *deiecerentur;* VII. 1. 13. § 4 et XLIII. 16. 3. § 9 *deiecere* (infin.); VII. 1. 13. § 5 *deiecerit* (pro infin.). Codex Sessorianus Augustini Speculi saec. VIII-IX (cf. Schuch. III. 3) *proiecietur.*[5] Codex Bobiensis-Vaticanus Augustini Sermonum saec. VI-VII (cf. Schuch. l.c.) *proiecere.*[6] Gothanus[7] Euangeliorum 38. b, 15 *proiece.*

Post vocali igitur, item ut post consonante, cadentes praepositiones *iecio* formam esse antiquiorem licet nobis arbitrari. Sed *icio* in his quoque compositis se mox ostendit in sermone, ut ex scaenicis poetis[8] apparet, non plerumque tamen ita elatum ut *eicio* verbum, quod exempli gratia profero, in quattuor syllabas *ĕ̄-i-ci-o* distingueretur,[9] sed in tres *ei-ci-o* quarum prima esset diphthongus.[10]

---

[1] Cf. eius edit. ad h. l. et ad 1. 41. 1.

[2] Cf. p. 92 sup.

[3] Cf. p. 98 sup.

[4] Cf. p. 98 sup.

[5] Cf. A. Mai Novae Patrum Bibliothecae tom. I, 1852, partem sec. p. 28, vs. 27.

[6] Cf. ib. partem primam, p. 25. vs. 11.

[7] Cf. p. 98 sup.

[8] Cf. etiam p. 99 sqq.

[9] Contra *ĕicio* formam cf. sup. pp. 104–05; atque *ēicio* quamquam initio quidem veri est simillimum per quattuor syllabas auditum esse, non diu tamen haec ratio dicendi perstitisse mihi videtur. Operae est pretium fortasse illud *deinde* adverbium recordari, in quo praefixa syllaba cum *i* littera sequente diphthongum effecit. Similiter saepius *dehinc*, *deinceps*, *proinde*, alia.

[10] Cf. ind. Plaut. e; Ter. d; Rell. e.

Cf. Mil. 205:—

Déxterum ita veménter *ēīcit;* quód agat aegre súppetit

Asin. 254:—

Quín tu abs te socórdiam omnem *rēī'cis*, segnitiem ámoves

Phorm. 717:—

Nam si áltera illaec mágis instabit, fórsitan nos *rēī'ciat*

ib. 18:—

Ille ád famem hunc a stúdio studuit *rēī'cere.*

Sunt quoque alia[1] exempla quae per diphthongum sive synizesim, quam vocant, potuerunt dici. Haud tamen placet talis ratio; quae enim exempla certo sunt sic enuntianda apud hos scaenicos poetas non plus quinque inveniuntur, quae divisim necesse est enuntiari, quindecim.

Haec autem per diphthongum ratio dicendi, quoniam brevior commodiorque erat illa altera per *iecio*, magis magisque valuit, dum a. 105 a. Chr. n. pervagati fuit usus. Namque cum sono apud Romanos obsecuta est scriptura, tum eo anno lex est incisa, quae habet *proicito*[2] scriptum. Apud poetas tamen et alios litteris instructos illud *iecio* tam diu est identidem et dictum et scriptum, quoad remansit post consonante terminatas praepositiones, hoc est usque ad extremam Augusti aetatem.[3] Inde ab hoc tempore omnino non usurpatum est neque apud poetas neque apud alios. Sic enim non solum inter se constat ratio omnium *iaciendi* verbi compositorum, et quorum consonantibus et quorum vocalibus cadunt praepositiones, verum huc quoque se vertunt vestigia earum quae *iecio* habent formarum.[4] Nam exstant haec aut in operibus quae sunt ante Augusti obitum composita, aut quae longe posteriora sunt; neque est ullum, quod sciam, exemplum apud scriptores priorum duorum p. Chr. n. saeculorum, uno tantum excepto apud Statium (cf. p. 112 sup.). Id ergo Statium ipsum scripsisse mihi quidem haud probabile

---

[1] Cf. ind. Plaut. f; Ter. e; Rell. f.

[2] Cf. ind. Inscr. a. 3. Nempe potuit hoc verbum per diaeresim enuntiari, sed cf. p. 113 et adn. 9.

[3] Cf. sup. pp. 99, 101.

[4] Cf. sup. pp. 110–13.

videtur; atqui concedendum est profecto potuisse eum, quod in aliquo veterum scriptorum exemplari conspexisset, id imitari. Quae autem exempla in Novi Testamenti codicibus et apud Augustinum reperiuntur, ea, ut reor, indicant illius *iecio* formas inter rudes rusticosque diu conservatas esse.[1]

Tametsi igitur, cum *iecio* iam a Tiberio imperatore obsoluisset, in sermone nihil nisi breviorem formam per diphthongum expressam in usu fuisse maxime probabile videtur, in carmina tamen hanc quidem formam, at per diaeresim elatam, admiserunt poetae. Cf. German.[2] 512: —

Rectus per medios decurrens *trăicit* axis

Phaedr.[3] Append. 8. 20: —

Et vóce molli; lícet? enim vero *é'ici*

et alia.[4]

Sed quamquam diaeresim numerorum gratia, fortasse etiam veterum consuetudine adducti, plerumque adsumpserunt, volgarem tamen dicendi modum neque hi neque illi spernebant. Quae apud Plautum et Terentium sunt exempla supra laudavi. Quibus accedant haec: Lucil. 652 Lachm.: —

. . . ego animam
Prōī'ciam ut me amóre expediam . . .

ubi incertissima est scriptura.[5] Quod dedi est ex Lachmanni coniectura. Minime tamen, etiam si ea accipietur, necesse est per diphthongum, *prōīciam*, enuntiare, alteram enim mensuram, *prŏiciam*, facile accipit versus. Quod quidem maluit Lachmann ipse.[6] Lucretius[7] duo exempla habet, 3. 877: —

Nec radicitus e vita se tollit et *ēīcit*

4. 1272: —

Ēīcit enim sulcum recta regione viaque

[1] Cf. p. 102 sup.
[2] Cf. ind. p. 145 German. b.
[3] Cf. ind. Phaedr. b.
[4] Cf. ind. Manil. b; Val. b; Il. Lat. b; Stat. c; Claud. c.
[5] Cf. ind. Lucil. b.
[6] Cf. Comm. in Lucr. p. 188.
[7] Cf. ind. Lucr. c.

Laber.[1] 119. II. p. 296 R: —

Nunc[íne] me *dēĭcis?* quó? quid ad scaenam ádfero?

Verg.[2] E. 3. 96: —

Tityre, pascentes a flumine *rēĭce* capellas.

Hor.[3] S. 1. 6. 39: —

Dēĭcere de saxo cives aut tradere Cadmo.

Ov.[4] F. 4. 709: —

Factum abiit, monimenta manent, nam *dēĭcere* [4] captam.

Ciris.[5] 118: —

Rēĭcere [5] et indomita virtute retundere Martem.

Sen.[6] Phoen. 426: —

Et ínter acies *prōĭ'ciet* raptám duas

quamquam hic quoque praefixa per se longa syllaba potuit esse. Val. Fl.[7] 7. 514: —

Nunc *dēĭcit* [7] vultus aeger pudor et mora dictis.

Stat.[8] Th. 4. 574: —

Tela manu *rēĭcit*que canes in vulnus hiantes.

Iicio autem Romanos non admisisse similia sunt argumenta eorum, quae supra pp. 89–92 protuli, namque deest id ut in titulis, ita in libris antiquissimis et solutae orationis et vinctae, exceptis modo PRc Vergilianis; neque saepe in poetarum certe codicibus ante XV saeculum inducebatur. Talem praeterea sonum, quo *i* consonans *i* vocali exceptum esset in eadem syllaba, abhorrere a Romanorum consuetudine, satis, arbitror, apparet ex testimoniis supra p. 93 sqq. adlatis.

---

[1] Cf. ind. Rell. e.
[2] Cf. ind. Verg. c.
[3] Cf. ind. Hor. c.
[4] Cf. ind. Ov. d.
[5] Cf. ind. Ciris.
[6] Cf. ind. Sen. d.
[7] Cf. ind. Val. c.
[8] Cf. ind. Stat. d.

In poetarum libris manu scriptis quae huius formae tradita sunt exempla, quod comperire ex editionibus criticis potuerim,[1] haec fere sunt: —

Plautinus[2] F saec. XV (cf. p. 89 sup.) praebet *reiicio* in Merc. 908, *deiiciam* in Stich. 355, *reiiciam* in Pers. 320, *reiicere* ib. 319.

Lucreti[3] codices, etsi non exhibent ipsum *iicio*, tamen in 3. 58 et 3. 497 *eliciuntur*, in 4. 945 *eliciatur* habent, unde Lambinus *eiciendi* formas restituit, id quod Lachmann et Munro acceperunt. Nimirum recte. Horati enim codex Monacensis 14685 (C) saec. XI habet in S. 1. 6. 32 *inliciat*, et codex Gothanus (g) saec. XV *illiciat*.[4] In Vergili quoque Gudiano (γ) saec. IX *superlicit*[5] prima manu scriptum est in A. 11. 625. Atque Livi Puteanus (P) saec. V-VI *inlici* dat in 30. 10. 16. Quae corrupta non tam, ut illud *Graliugenarum*[6] quod est in Lucreti codice A, oculo decepto debentur, quam auri male percipienti; non enim alia huius *iicio* habent hi codices vestigia.[7]

Catullianus[8] Guelferbytanus (G) saec. XV geminum *i* constanter habet.

Vergilianorum[9] codicum habent tres huius formae exempla: Palatinus (P) saec. IV-V *coiiciunt* in A. 10. 801, et *de · i · cit* ib. 8. 428 in quo forsitan illius *deiiicit*[10] lateat vestigium. Romanus (R) saec. IV-V *proiice* ib. 6. 835. Bernensis 184 (c) saec. IX *trai · cit* ib. 10. 400 ubi *i* altera est erasa.

Ovidiana[11] Defloratio Vincenti Bellovacensis saec. XIII dat *eiicitur* in T. 5. 6. 13. Codex m imperite interpolatus (cf. Merkel. edit., 1841, p. cclxxxi) *traiicias* in rasura habet in F. 4. 782. Codex Q (cf. p. 90 sup.) saec. XV habet *eijcitur* in T. 5. 6. 13, *traijcerer* ib. 5. 2. 33 ubi *traiicerer* habent et Excerpta Politiani (Δ) et codex Oxoniensis (ξ), uterque saec. XV, et Berolinensis (o) saec. XIV.

Phaedri[12] Neapolitanus (N) saec. XV (?) et Vaticanus 368 (V) saec. XV-XVI dant *eiici* in Append. 8. 20.

---

[1] Si qui alii codices hanc formam habent, scilicet novissimorum sunt.
[2] Cf. ind. Plaut. d, f. [3] Cf. ind. Lucr. b. [4] Cf. ind. Hor. a.
[5] Cf. ind. Verg. a. [6] Cf. sup. p. 94, adn. 4.
[7] Cum his placeat comparare Ter. Hec. 842, ubi pro *conicias*, quod est in codicibus, Palmer et alii *conlicias* voluerunt scribi. Cf. ind. Ter. b.
[8] Cf. ind. Catul. b. [9] Cf. ind. Verg. a, b.
[10] Cf. Vel. Longi locos inf. p. 118 citatos.
[11] Cf. ind. Ov. c. [12] Cf. ind. Phaedr. b.

Stati codex Dommerichianus (D), qui in libris pessimis interpolatis habendus est, praebet *deiiciat*[1] in Achil. 1. 311. Codices Behottiani, incerta aetate, *eiicit*[2] in Th. 6. 770.

Varronis librorum de lingua Latina codex Hauniensis saec. XV in versu Atti (430. I. p. 191 R.) 7. 65 prolato *reiicies*[3] tradit, *reiices* Gothanus saec. XV, *reiicis* reliqui (excepto Florentino saec. XI, qui *reicis* habet) saeculo XIV inferiores.

Gelli codicum interpolatorum pars in versu Pacuviano (94. I. p. 88 R.) 4. 17. 15 sumpto habent *proiicit.*[4]

Horum codicum nullus praeter Vergilianos PRc superioribus saeculo XIII temporibus descriptus est. Post consonante autem praepositiones finitas nullum ex codicibus quorum comperi scripturas, praeter Vergili PV, qui uterque ad IV vel V saeculum pertinerent, Moreti B saeculi IX, Plautique C saeculi XI, *iicio* scriptum habuisse dum ad XII saeculum perventum esset, supra p. 92 indicatum est. Quoniam ergo in Vergilianis solis vetustissimorum codicum hoc *iicio* invenitur, satis patet, opinor, id non a volgari usu sive loquendi sive scribendi esse ortum, sed ab alicuius more grammatici vel librari, atque a quo magis ortum putemus quam a Probo[5] illo Aristarcho Vergiliano?

Namque grammatici post vocalis, ita ut post consonantes (cf. pp. 88–89 sup.), quod *iacio* verbi *i* consonantem nullo modo amittendam esse crediderunt, per duo *i* haec composita scribi iubebant; atque Velius Longus quidem eo more adductus, quo consonans *i* vocalibus interposita per duo *i* scripta est,[6] tria *i* memorat (K. VII. 54. 20): "Inde (h.e. a scribendo *Aiiacem*, *Maiiam*, *Troiiam*) crescit ista geminatio et incipit per tria *i* scribi *coiiicit.*" Etiam (ib. 72. 4): "Troia per *i* unum an per duo scribere debeam; et *coicit* utrum per unum *i* an per duo an per tria . . . et sic fiat *eiiicit* et *coiiicit.*"[7] Duo *i* laudat Priscianus in loco (K. II. 14. 14) supra p. 109 citato, iterumque in K. II. 126. 18: "Solet plerumque in compositione *a* in *i* converti, ut 'cado incido,' 'facio inficio,' 'iacio iniicio *reiicio.*'"

---

1 Cf. ind. Stat. a, s. v. *dissiciat.*

2 Cf. ind. Stat. c, s. v. *reicit.*

3 Cf. ind. Rell. f.

4 Cf. ind. Rell. d.

5 Cf. p. 94 sup.

6 Cf. pp. 107–08 sup.

7 Cf. Schmitz. Beitr. pp. 78–79; Lachmann. in Lucr. p. 371.

Gellius in 4. 17. 15 testibus optimis codicibus *proicit* scripsit, quamquam post consonantes *iicio* scribendum modo dixerat,[1] nihilque erat causae cur post vocalis quoque idem non iuberet. Servius autem unum *i* plane demonstrat se, ut enuntiavisse, ita etiam scripsisse; cf. ad Aen. 4. 549: "*Obicio*, *reicio*, *adicio* 'i' habent vocalem sequentem, quae per declinationem potest in consonantis formam transire, ut *obieci*, *reieci*." Accedat quod dixit ad Aen. 10. 473: "*Re* naturaliter brevis est, et eam pro longa posuit. Sic alibi (G. 3. 389):—

Reice ne maculis infuscet vellera pullis.

Quod licet possit excusari, quia cum facit *reieci*, inter duas vocales *i* posita producit superiorem, ut dicamus longam eam esse spe qua per declinationem longa futura est; tamen quia in hac re argumentum magis est quam ratio, dicamus ectasin factam, quae poetis plerumque conceditur."

Iacio verbum igitur, cum praepositionibus quae vocalibus cadunt inciperet subiungi, in *iecio* se convertisse videtur. Plauti autem aetate in sermonibus certe haec *e* littera propria mutatione porro convertebatur in *i* vocalem, id quod simul fecit ut *i* consonans reiceretur, nam *i* consonantis sonum *i* vocali subsequente non patiebantur Romani. Itaque praepositione cum illa *i* vocali in una syllaba plerumque elata, diphthongus est effecta, quae magis atque magis valens ad extremum alterum saeculum ante Christum natum ita volgo audiebatur, ut, scriptura apud Romanos sono obsequente, etiam in legibus, quae veteres formas maxime amant, repraesentaretur scribendo. Inde in volgari communique usu cum haec forma versaretur, apud poetas tamen et alios politos litterarumque peritos illud *iecio* usque ad extremam Augusti aetatem restabat. Tiberio autem imperatore, non iam est hoc usurpatum, nisi, ut videtur, ab imperitis provincialibusve; verum *icio* cum in sermone omnibus iam inde fuit in usu per diphthongum enuntiatum, tum numeri gratia per diaeresim a poetis non numquam adhibitum est.

---

[1] Cf. 4. 17. 6 sqq. sup. pp. 88–89 prolatum.

IV. De *H* littera ad hiatum corrigendum adhibita.

Ille tamquam hiatus, qui concursu ultimae vocalis praepositionum cum illo *icio* formatus est, raro in codicibus per *h* litteram insertam vitatur. Hoc *h* quamvis Lachmann [1] et L. Müller [2] putasse videantur aequale fuisse eius *iecio*, perpaucorum mori librariorum, ut opinor, debetur. Nam neque in titulis neque in illis solutae orationis codicibus, quos supra pp. 91–92 laudavi, omnino occurrit; neque scilicet multo saepius in libris poetarum. Quae notavi exempla in quibusdam editionum apparatibus criticis memorata haec sunt: —

In Vergili Mediceo (M) saec. IV-V *trahicit* [3] in A. 10. 400.

In Noni codice Lugdunensi priore (L) saec. IX *cohicere* [4] p. 267 M., ubi est Afrani versus (216. II. p. 191 R.) prolatus. Cf. p. 268 M. ubi in citando versu qui est (191. II. p. 188 R.): —

Coiécerat nescióquid de ratiúncula

(sic L. Müller, *ei coicere ad* codices plerique) *cohicere* dedit L_1.

In Plauti codice Vetere (B) saec. XI *de hic iam* [5] in Stich. 349, unde *dehinc iam* in CDF.

Catulli Oxoniensis (O) saec. XIV-XV reddit *prohicies* [6] in 55. 19, *prohicere* [6] in 64. 82.

Ovidiani libri aliquot, saeculo XIII vel XIV descripti, habent *trahicerer* [7] in T. 5. 2. 33, quorum satis sit memorare Berolinensem (B) saec. XIII-XIV et hos XIII saeculi, Guelferbytanum (sec. manu, G_2), Holkhamicum (H), Parisinum 8254 (R).

---

1 Cf. Comm. in Lucr. p. 128.

2 Cf. de Re Metr. p. $291^2 = 250^1$: "Alii pro eo quod est *icio* scripsere *iecio* vel *hicio*."

3 Cf. ind. Verg. b.

4 Cf. ind. p. 135, Rell. f.

5 Cf. ind. Plaut. f.

6 Cf. ind. Catull. b.

7 Cf. ind. Ov. c.

V. De illis verbis quae sunt *Conicio* et *Disicio*.

a) *Conicio.*

Restat denique ut de verbis quae sunt *conicio* et *disicio* breviter agam. Nam ut de *conicio* prius verba faciam, non satis adhuc cognitum est, qua ratione *con* et *co* ab antiquis adhibita sint.[1] Examinatis autem iis formis quae in inscriptionibus et apud poetas sunt, atque etiam orationis solutae non modo iis quas ego in vetustissimis libris manu scriptis inveni, verum etiam quas conlegerunt in libro suo Neue et Wagener, haec mihi videntur elucere: *con* praepositionem plerumque, si quidem non constanter, adhibuisse poetas; *co* autem formam, quae, ut veri simile est, pariter cum *con* praeponebatur ei quod est *iecio* verbo, tum, cum *iecio* in *icio* converteretur, mox solam in sermone usurpari, atque, diphthongo cum *i* vocali plerumque effecta[2] magis magisque valuisse, ab eisque qui solutis

[1] Cf. Lachmann. in Lucr. p. 136; Neue-Wagener. Formenl. II³, pp. 864–65.

[2] Et *con* (*com*) et *co* formas ante *i* et *v* litteras semivocalis praebent inscriptiones antiquissimae; cf. illud senatus consultum de Bacchanalibus (CI. I. 196 (p. 43), a. 186 a. Chr. n.), in quo exstant haec: *comvovise* vs. 13, *coventionid* vs. 23, *conioura[se]* vs. 13; etiam CI. I. 1011 *coniunxs*, 1053 *coniugi*, 1064 et 1413 *coiugi* quae inscriptiones, etsi incerta aetate, sunt tamen inter vetustissimas. Vide alia exempla ap. Neue. II³. pp. 865, 867. Principio autem haud scio an illo *co* solo ante semivocalis usi sint Romani; *contio* enim et *cunctus* (*conctos* in Carm. Arvali, CI. I. 28. 4) vocabula non ab *conventio* et *coniunctus* possunt duci, verum ab *coventio* et *coiunctus*. Hoc si verum est, *coiecio* est primum adhibitum, deinde cum illo pariter *coniecio* (cf. ind. Inscr. a. 2, *conieciant*, a. 123–2 a. Chr. n.); atque *con* praefixam syllabam plerumque scripserunt poetae, si quidem in codicibus possumus niti, cui non est mihi dubium quin *ieciendi* formas usque ad Tiberium imperatorem subiunxerint. Illud autem *icio* simul atque in usum venit, cum eo non saepe *con*, sed *co*, coniunctum est, quoniam sic poposcit consuetudo Romana. Namque ante vocalis *co* fere adhibitum est. Cf. *cogo* (ab *co-ago*), *coactus*, *coeo*, *coetus* (ab *coitus*), *coopto*, alia. Excipienda sunt sola haec vocabula: *comedo*, *comes*, *comitium*, cum iis quae ab his originem ducunt. Corripitur autem *co* syllaba (cf. p. 105 et adn. 5) cum eam excipiunt vocales; cf. Hor. S. 1. 2. 9:—

Omnia conductis *cŏemens* obsonia nummis.

Verg. A. 3. 424:—

At Scyllam caecis *cŏhibet* spelunca latebris.

verbis scriberent magna ex parte adhibitam esse.[1] Cicero autem et Caesar et Livius, quantum quidem ex codicibus iudicare possumus, modo *co* modo *con* maluerunt. Potius tamen mihi quidem videntur illud *coniecio* semper adhibuisse.[2] Cf. *abiecit* illud quod Cicero scripsit in libro de Divinatione 1. 48. 106 (cf. p. 97 sup.); *deiecerentur* quod est in Caesaris de bello Gallico commentariis 4. 28 (cf. p. 113 sup.); *adiecit* apud Livium 10. 8. 3, 10. 37. 14, 22. 19. 2; [*s*] *ubiecere* in 26. 19. 2 (cf. pp. 97–98 sup.). Cf. etiam p. 112 supra. *Conicio* autem aut *coicio* ubi in codicibus eorum scriptum legitur, librariis debetur; sed illud praefixam syllabam, qua ipsi scriptores usi sunt, servavit, hoc volgarem formam admisit. Cf. Livi codicem rescriptum Veronensem,[3] in quo cum *conici* in lacunam quadrat in 3. 13. 6, tum *coici* plane scriptum in 6. 2. 10. Codex Puteanus[4] habet in 28. 3. 11 a prima manu *coicerentur*, quod secunda manus in *conicerentur* convertit, atque *coiecus* est pro *coniectus* in 25. 16. 22. Cf. porro Neue. l.c.

Sed apud poetas illud *co* valde raro traditum est. In Plauti Rudente 769 *coiciam*[5] habent CD codices, sed reliquis in locis huius poetae *con* solum legitur.[6] Apud Terentium autem *con* est constans, atque in Hecyra 132 non est dubium quin id *conieci*, quod habent plurimi libri, praeferendum sit illi *coieci* quod est in Bembino (A). Illud *co* quod est in Laberi et Afrani versibus[7] forsitan poetis ipsis non debeatur, sed Gellio[8] et Nonio,[9] qui hos versus sumunt. Namque *con* potest in omnibus restitui neque numeri laeduntur.

(Similiter *de* syllaba. Cf. Ter. Haut. 825:—

Ne ego hómo sum fortunátus; *dĕamo* té Syre.

Verg. A. 1. 106:—

Hi summo in fluctu pendent, his unda *dĕhiscens*.

Lucr. 2. 202:—

Quin vacuum per inane *dĕorsum* cuncta ferantur.)

Cum tamen eius *icio* verbi formae huic *co* subiunguntur, non corripitur sed per diphthongum cum *i* sequente coniungitur. Cf. pp. 113 (cum adn. 9)–116.

[1] Cf. ind. Inscr. a. 6, 10; b. 3; Neue II³. pp. 864–65. Accedat etiam ex Plini codice rescripto Veronensi (cf. p. 91 sup.) 15, § 29 (= edit. Sillig. vol. VI. p. 240. 2) *coicit* forma. Serv. ad Aen. 9. 409 (411): "*conicit* antiquum est."

[2] Cf. p. 101 sup.

[3] Cf. p. 91 sup.

[4] Cf. pp. 91–92 sup.

[5] Cf. ind. Plaut. b.

[6] Cf. p. 100.

[7] Cf. ind. Rell. d, f.

[8] Cf. Gell. 16. 7. 5.

[9] Cf. Non. p. 267. 34 et 36 M.

Item apud Lucilium haud scio an sit *con*[1] ponendum in 2. 25 et 29. 48 M. (=62 et 715 Lachm.), qui versus a Nonio 268. 5 et 506. 27 M. citati sunt. *Con*[2] dat Gellius 4. 17. 2 in Lucili versu qui est 11. 10 M. vel 342 Lachm.

Vergili libri *con*[3] formam exhibent constanter, nisi quod in A. 10. 646 et 5. 662 Romanus (R), in 10. 801 Palatinus (P) *co* habent. Ovidiani quoque libri *con*[4] semper reddunt, tametsi in M. 7. 245 ante correctionem *co* habuit codex Marcianus Florentinus 225 (M) saec. XI. Apud Ennium,[5] Lucretium,[6] Ciceronem,[7] Tibullum[8] nihil nisi *con* est traditum, neque licet nobis dubitare quin ipsi poetae *conieciendi* formas scripserint. Sed post Augusti obitum cum illud *iecio* breviori *icio* formae cessisset, in *con* utendo, eoque longo, nihilo minus perstiterunt poetae.[9] Cuius rei sola duo sunt exempla, alterum apud Valerium Flaccum,[10] alterum apud Silium.[11]

b) *Disicio.*

In verbo autem *disiciendi* de quo alias alii sententias dixerunt, eandem, qua sum in ceteris usus, rationem volo adhibere. Atque *dissicio* ne quisquam, oro, arbitretur aliud esse verbum ex illo *secere*[12] compositum. Nam cum O. Ribbeck, vir doctissimus, hanc opinionem a. 1873 diserte protulerit in corollario comicorum fragmentorum p. xiii sqq., ac Prisciano sumendo 1002 P (K. III. 56. 18): "Sciendum, quod tunc *dis* praeponitur, quando sequitur *c* vel *f* vel *p* vel *s* vel *t* vel *i* loco consonantis, ut *discumbo* . . . *differo* . . . *displiceo* . . . *dissicio*, *dissero*, *distraho* . . . *disiectus*, *disiungo*," ubi id *dissicio* enumerat ille cum *dissero* verbo, non cum *disiectus*, studuerit sententiam comprobare; minime, ut ipse quidem fatetur, sustentant codices hanc distinctionem, tum *disicere* tum *dissicere* inconsulte ac temere exhibentes, neque id quod *seco* est in hoc solo composito *sicio* factum esse mihi facile persuadetur, eoque minus quod *disseco* exstitit a *dissecando*. Itaque *dissiciendi* verbum, quod habent saepis-

---

[1] Cf. ind. Lucil. b.
[2] Cf. ind. Lucil. a.
[3] Cf. ind. Verg. a.
[4] Cf. ind. Ov. a.
[5] Cf. ind. Enn. a.
[6] Cf. ind. Lucr. a.
[7] Cf. ind. Cic. b.
[8] Cf. ind. Tibul. a.
[9] Cf. p. 102 sup.
[10] Cf. ind. Val. a.
[11] Cf. ind. Sil. a.
[12] *Secere* quidem non minus se commendat quam *lavere*, *sonere*, *tonere*.

sime codices nostri, non aliud est, ut puto, nisi illud *disiciendi* verbum, quod quidem ipsum significationem habet et *dispergendi* et *dissecandi*. Haud igitur perverse interpretati sunt illi veteres litteratores ubi scripserunt tum "*dissicere*, dissecare"[1] vel "*dissice*, separa, divide,"[2] tum "*dissice*, disperge, effuga, discute."[3]

Unde igitur illud *s* alterum ortum esse suspicemur? Ignota enim prorsus fuit talis geminatio ultimae consonantis praefixae syllabae qualis est *abbicio*, *innicio*. Ex eo potius, ut viri docti[4] haud pauci perspexerunt, petenda est huius rei ratio, quod cum *disicio* iam post Augusti obitum in usu fuit et in loquendo et in scribendo, sed apud poetas veteres praefixa syllaba productione fuit legenda, librarii de numeris solliciti non vocali producenda, ut non nulli in *obiciendo*, *coniciendo* et ceteris similibus teste Gellio,[5] satis suae voluntati fecerunt; verum *s* litterae geminationem adhibuerunt, id quod facilius factum est quia *disseco*, vel fortasse *dissico*,[6] haud dissimili sono exstabat. Sic in poematis describendis orta haec ratio scribendi mox opera solutis verbis composita invasit, atque ita volgo in usum venit, ut vel Priscianus, re fortasse parum perpensa, arbitraretur id esse compositum alicuius simplicis verbi quod ab *s* littera inciperet.

Quam frequens haec geminatio *s* litterae fuerit, videre possumus in exemplis huius verbi considerandis, quae ex poetis excerpsi.[7] Sunt enim in summa undeviginti exempla, quae, ut commode inter se comparentur, hic componere libet.

---

1 Cf. A. Mai., Auct. Cl. VIII. p. 179.

2 Cf. Hildebrand. Glossarium Lat. Bibliothecae Paris. antiquissimum saec. IX, p. 112; Goetz. et Gundermann. Corpus Gloss. Lat. IV. p. 332. 34.

3 Cf. Goetz. et Gundermann. IV. p. 55. 19. Porro conferas Du Cange. Gloss. Med. et Inf. Lat., s.v.

4 Cf. Wagner. ad Verg. A. 12. 308; Lachmann. in Lucr. p. 128; L. Müller. de Re Metr. p. 291^2 (250^1).

5 Cf. Gell. 4. 17.

6 Cf. Sen. Tro. 395, *dissicat* habet cod. Etruscus cf. p. 126 inf. In Apul. Met. VIII. p. 581 *dissicant* et *dissecant* habent codd. Cf. Hildebrand. Gloss. Lat. p. 112 adn.

7 Cf. etiam Neue $II.^3$ 920–3.

1)	Plaut. Curc. 424	*dissicit.*	*dessicit* BE, *diligit* FE_3.
2)	Att. 348. I. p. 181 R.	*dissicit.*	*discicit* H_1, *dissicit* H_2.
3)	Naev. 57. II. p. 16 R.	*dissicis.*	
4)	Caecil. 239. II. p. 74 R.	*dissice.*	sic Putean., *disce* volgo.
5)	Lucr. 3. 639	*dissicietur.*	
6)	Verg. A. 12. 308	*dissicit.*	bcM_2, *disicit* γM_1, *disiicit* P_1, *disicit* P_2, *discidit* R.
7)	Verg. A. 1. 70	*dissice.*	Rγbcm, schol. Serv. 5. 683; *dissicep* M, *disice* Donati exempl.
8)	Verg. A. 7. 339	*dissice.*	RγbψM_2, *dissicae* c, *disice* M_1, *disiice*, supra scripta fortasse s, V.
9)	Ov. M. 11. 386	*dissicit.*	sic vel *disicit* codd. plerique; *dissidit* λ cuius in marg. *deiecit.*
10)	Sen. Tro. 395	*dissicit.*	*dissicat* E, *dissipat* A.
11)	Sen. Agam. 896	*dissicere.*	
12)	Sen. Phoen. 343	*dissicite.*	E, *deicite* interpolator E.
13)	Val. Fl. 3. 162	*dissicit.*	C, *dissicet* P, *disicet* M_1, *disiicit* M_2.
14)	Sil. It. 9. 538.	*disice.*	LV, *disire* vel *disice* corr. in *dissijce* F, *dissite* O, *discute* volgo.
15)	Sil. It. 13. 444	*dissice.*	Ch, *discite* O.
16)	Il. Lat. 325	*disiceret.*	*disiiceret* E, *discideret* FV, *divideret* MN, *dis*^{cu}*ceret* L, *discuteret* B.
17)	Stat. Th. 1. 590	*dissicit.*	BG_2M, *disicit* H Anglic., *dissicet* P, *discicit* S, *discidit* Pal. 1.
18)	Stat. Achil. 1. 311	*dissiciat.*	PG_2, *dissiceat* Pc, *dissotiat* G, *deiiciat* D, *discutiat* ptH.
19)	Stat. Th. 10. 69	*dissice.*	

Ex his igitur sunt novem (4, 6, 7, 8, 9, 13, 14, 16, 17) quae variis scripturis et *dis* et *diss* vel perspicue exhibent vel satis indicant; decem (1, 2, 3, 5, 10, 11, 12, 15, 18, 19) quae, cum *diss* manifestum vel haud obscure indicatum habent, tum *dis* scripturae nullum dant vestigium; unum denique (16) quod *dis* solum habet, sed etiam in hoc forsitan *diss* in iis scripturis lateat, quae sunt in FVLB codicibus.

Quamquam hi ipsi poetae, ut arbitror, illam geminationem *s* litterae non adhibuerunt.[1] Nam ante Augustum mortuum *disieciendi* formas veri simile est esse scriptas, atque postea *disiciendi*, in quo sane *dis* syllaba corriperetur; cuius rei exempla duo praebere Seneca[2] videtur in Agam. 896:—

Disícere et hostem quaérit implicitús suum

et in Phoen. 343:—

Disícite passim moénia in planúm date

quorum in utroque *dis* syllaba potest corripi. Sed in Tro. 395:—

nubes . . .
Arctoi Boreae *dissicit* impetus

ubi versus Asclepiadei ratio postulat ut *dis* syllaba producatur, non *disicit* scripsit poeta, verum *dissecat* vel *dissicat*,[3] si quidem codici Etrusco omnium praestantissimo credere possumus. Apud Valerium Flaccum autem et Silium et Statium, si eorum in *iaciendi* compositis rationis meminerimus,[4] haud mira vidēbitur productio *dis* syllabae. Hanc vero productionem non duabus *s* litteris scribendis significavere, nam simplicis *s* exempla ipsa, quae sunt omnium optime codicibus sustentata, praebent Silius 9. 538 et Ilias Latina 325.

---

1 Cf. autem Kempf. Val. Max. edit. pr., 1854, p. 282, vs. 6 adn.; Fleckeisen. in Annall. Philoll. 1863, p. 199 adn.; Neue. II.[3] p. 921.

2 Cf. ind. Sen. a.

3 Cf. sup. p. 124, adn. 6.

4 Cf. sup. pp. 101–02.

INDEX.

Enumeratio omnium praesentium praepositionibus subiunctarum *iaciendi* verbi formarum, quae in Inscriptionibus et apud Poetas, quotquot inter annos 240 a. Chr. n. et 200 p. Chr. n. scripserunt, sunt repertae. Adduntur quae formae apud Ausonium et Claudia, num occurrunt.

I.

Ex Inscriptionibus sumpta exempla (CIL. — exceptis XI. 2, XIII-XV. 2 nondum editis; — Ephem. Epigr. I.–VIII. 2).

a) Quorum tempora definiri possunt, secuntur: —

(cf. p. 110)	proiecitad	(= proicito?) in lege Lucerina de luco tempore non certo sed antiquo promulgata. CI. IX. 782; Eph. Epigr. II. p. 205.
(cf. pp. 96, 100)	coniecíant	in lege repet. a. 123 sive 122 a. Chr. n. CI. I. 198. 50.
(cf. pp. 100, 114)	proicito	in lege parietis faciendi a. 105 a. Chr. n. CI. I. 577, 1. 12, 16 (p. 163) et X. 1. 1781 (p. 218).
	inicere	in lege Ursonensi a. 44 a. Chr. n. CI. II. Supplem. 5439. lxi. 1; Eph. Epigr. III. p. 91. 1.
	reiciantur	CI. ib. xcv. 27; Eph. Epigr. II. pp. 110, 224.
(cf. p. 121 sq.)	coicerentur	in titulo artificis de ossibus Hilarae sepeliendis a. 13 a. Chr. n. CI. VI. II. 9290.
	deicientes	in Menologio Rustico Colotiano et Men. Rust. Vallensi, quae haud multo recentiora facta sunt quam Fasti nobis servati, qui omnes ex annis u.c. 723–804 (= 31 a. Chr. n.

–51 p. Chr. n.) orti sunt.[1] CI. I. p. 359. XXII. a et b sub mense Decembr. vs. 15; VI. I. 2305 et 2306 (pp. 637, 639).

adicere in titulo a Vespasiano ad milites in provinciam Baeticam a. 78 p. Chr. n. misso. CI. II. 1423. 11.

subici in decreto Domitiani ad Falerienses ex Piceno attinente a. 82 p. Chr. n. CI. IX. 5420. 8.

(cf. pp. 121–22) coicito in legibus civitatum duarum Hispanarum temporibus Domitiani in aes incisis. CI. II. 1964, col. 2, 45 et 51.

adiciatur in titulo de exercitu aevo Hadriani insculpto. CI. VIII. I. 2532, Frg. B, a), vs. 6.

(cf. p. 88, adn.) ădicit in vss. heroicis a. 136 p. Chr. n. compositis. CI. XIV. 2852. 15.

subiciantur in epistula a. 314 p. Chr. n., ut veri simile est, a Constantino ad Romae praefectum scripta. CI. V. 2781. 27; Eph. Epigr. VII. p. 416, tab. B, vs. 45.

adici in titulo sacro, qui in Ianiculo repertus, certe post Diocletiani tempora, probabiliter quinto saeculo iam vergente, incisus est. CI. VI. I. 1711. vs. 3.

adicit ib. vs. 17.

[reiciendos e Claudi orationis a. 48 p. Chr. n. habitae fragmento, quod in tabula aenea servatur. cf. ed. Monfalcon., 1851, t. IV. 8 (non vidi); Tacit. Nipp. edit. quart., 1880, II. p. 304, col. II, 8.]

---

[1] Cf. Ph. E. Huschke, Das Alte Röm. Jahr und seine Tage, p. 142.

b) Quorum tempora non definiuntur, haec sunt: —

adicias in praeceptis T. Flavi cuiusdam de ossibus et cineribus datis. CI. VI. II. 8431.

adiciatur CI. X. I. 649.

(cf. pp. 121–22) coicito in fragmento Arimini effosso, quod Garrucci eius tabulae esse conicit, quae altera parte exhibet legem repetundarum. cf. *conieciant* sup. CI. XI. I. 364 a.

deiciat CI. X. I. 1971.

inicere CI. XIV. 586.

traiciendas in titulo sepulcrali. CI. VI. II. 10237, vs. 13. (In summa 21.)

c) Haec exempla cum ad quaestionem nostram non pertineant tamen digna sunt quae laudentur: —

(cf. p. 89) iniice in tabella marmorea, quae in compluribus libris titulos continentibus edita a Mommseno Falsis adsignata est. CI. X. I. 204* (p. 10*).

OIECIOR in fragmento parvo ita mutilo, ut cum duo tantum vocabula sint certa, tum verbi nostri deperierit initium. Vix autem *iaciendi* verbi potest esse compositum. Leblant supplet sic, [PR]O[T]EC[T]OR. CI. XII. 5385.

adiecit in fragmento pusillo VTVM·ADIECIT. Est sine dubio temporis praeteriti. CI. XII. 5309.

II.

Exempla e Poetarum scriptis sumpta iam cum variis scripturis disponamus, primumque quidem

PLAUTINA,

quorum expedit in primis ea proferre

a) in quibus syllaba praefixa *consonante* exit eiusque *productio* metro confirmatur. cf. p. 100.

	ā′diceret	Poen. 1174.[1]	A, adiecerit F cf. p. 96.
(cf. p. 122)	cōnícit[2]	Mil. 112.	contigit B, contegit CD cf. p. 96, compegit F.
	cō′nice	Epid. 194.	B, coniice F cf. p. 89, coče I.
(cf. p. 125 sq.)	díssicit	Curc. 424.	dessicit BE, diligit FE3.
	ī′nicio	Cas. 225.	BI, ĩnitio E, initio FV.
	ī′nicit	Aul. 197.	
	ī′nice	Truc. 479.	iniice F (L cf. p. 89).
	ī′nice	Pers. 88.	nice BCD, iniice F cf. p. 89.
	ō′bicitur	Merc. 339.	obiicitur F " "
	ō′bicitur	Pseud. 592.	A, obiicitur F " "

(In summa 10.)

b) Pauca sunt exempla quae *correptam* habent syllabam primam *consonante* cadentem.

(cf. pp. 99, 122)	cŏ′nicitis	Merc. 932.	coniicitis F cf. p. 83, adn. 2.
" "	cŏ′niciam	Rud. 769.	B, coniiciam F " " coiciam CD cf. p. 122.
(cf. p. 99)	ŏ′bicias	Asin. 814.	obitias E. (3.)

c) Plerumque *anceps* est primae syllabae *consonante* exeuntis mensura.

	ā̆′bicio	Merc. 851.	abiicio F cf. p. 89.
	ā̆′biciam	Men. 555.	abiiciam F " "
	ā̆′diciat	Asin. 769.	aditiat BD.
	ā̆′dicito	Merc. 491.	A, abdicito F.
(cf. p. 122)	cō̆nício	Curc. 253.	conitio BEI.
" "	cō̆nícitur	Poen. 69	coniicitur F cf. p. 89.
" "	cō̆níciam	Cas. 342.	conitiam B, 9nitiā E.

[1] Ritschelianae editionis numeros sequor.

[2] Cf. omníbus Trin. 54; enécas Rud. 944 al. Vide Klotz. Altröm. Metrik, p. 274.

(cf. p. 122)	cŏnícíam	Capt. 779.	conitiam E, coniiciam F cf. p. 89.
" "	cŏnícite	Cas. 386.	
" "	cŏnícito	Cas. 94.	coniicito F cf. p. 89.
" "	cŏ́nicere	Trin. 238.	coniicere F " "
	ĭ́niciam	Amph. 875.	initium BE.
	ĭ́niciam	Truc. 762.	iniiciam F (L cf. p. 89), initiam rell.
	ĭ́niciam	Cas. 589.	A, iniiciam F cf. p. 89, initiam EV.
	ĭ́niciat	Pers. 71.	initiat BCDb, itiat Da, iniiciat F cf. p. 89.
	ĭ́niciatis	Truc. 298.	BCD, inleciatis (corr. illeciatis) A cf. p. 96, iniiciatis F (L cf. p. 89).
	ĭnícite	Capt. 659.	inicite, icite in ras., B, iniicite F cf. p. 89.
	ĭnícere	Epid. 690.	
	ĭnícere	Capt. 267.	
	ĭnícere	Pseud. 407.	A, incipere BCDF, iniicere 'prisca exemplaria' Pii.
	ĭ́nicere	Pseud. 643.	ACD, iniicere F cf. p. 89.
	ŏ́bicio	Curc. 567.	obitio E (corr. E3).
	ŏbíciunt	Curc. 531.	obitiunt E.
	ŏ́biciunt	Trin. 1124.	obiiciunt F cf. p. 89.
	ŏ́biciunt	Pers. 470.	obiiciunt F " "
	ŏbíciam	Rud. 770	A, obiiciam F " "
	ŏ́biciet	Epid. 664.	obiiciet F " "
	ŏ́biciemus	Mil. 148.	obitiemus B1CD, obiiciemus F cf. p. 89, obiciemus B2.
	ŏbícias	Trin. 410.	ABCD, obiicias F cf. p. 89.
	ŏ́biciatur	Poen. 606.	obiiciatur F " "
	ŏbícito	Poen. 1235.	obicito A
	ŏbícere	Mil. 623.	obiceret ante ras. B, obiicere C cf. p. 89, obveccere D cf. p. 97.
	ŏ́bicere	Mil. 619.	B et ex ras. D, obiicere C et ante ras. D, item F, cf. p. 89.
	ŏbícere	Most. 619.	obi BCD, obiici F cf. p. 89, obicere Müller Pros. p. 538.

d) *Vocali* autem exeuntes praepositiones in his *producuntur.*

	dē′ici	Asin. 425.	
	dēícite[1]	Stich. 360.	ABCDF.
	ēícite[1]	Cas. 23.	B, dicite V, diicite ras. ex discite E, ducite IF.
(cf. p. 105)	ē′ici	Asin. 127.	
	prō′ici	Cist. 618.	
	rēício[1]	Merc. 908.	reiicio F cf. p. 117. (6.)

e) Bis certe praepositio cum *i* littera sequente per *synizesim*, quam dicunt, coalescit. cf. pp. 104 sq., 114.

ēī′cit	Mil. 205.	ABCDF.
rēī′cis	Asin. 254.	reice libri, reicis Lambin.

(2.)

f) In reliquis *dubium* est producta an per diphthongum cum *i* sequente praepositionis vocalis sit enuntianda. cf. pp. 104 sq., 114.

dē′iciam vel dēī′ciam	Stich. 349.	A, de hic iam B, dehinc iam CDF cf. p. 120.
dē′iciam vel dēī′ciam	Stich. 355.	ABCD, deiiciam F cf. p. 117.
ē′icís vel ēīcís	Asin. 161.	ras. unius litt. ante eicis D.
ē′iciam vel ēī′ciam	Truc. 659.	eiciā D, ieciā B, ieciam C cf. p. 110.
ē′iciar vel ēī′ciar	Mil. 845.	F, eicia BC, eici acellaria D.
rē′iciam vel rēī′ciam	Pers. 320.	A, reitiam C, reiiciam F cf. p. 117.
rē′icere vel rēī′cere	Pers. 319.	BCD, rẹicere A, reiicere F cf. p. 117.

(7.)

[1] His in exemplis atque in omnibus sequentibus Plautinis produci praepositionem non demonstrant numeri. Verum tamen in talibus vocalem numquam corripi licet sine dubio adfirmare. Cf. p. 104 sq.

TERENTIUS.

a) Terentius, quorum *consonante* finita prior pars *producitur*, haec suppeditat. cf. p. 100.

(cf. p. 97)	ī'niecit	Ad. 710.	A cum rell. (e in ras. F), Donat. in lemm.
	ō'bici	Ad. 610 b.	
	sū'bice	Ph. 387.	(3.)

b) Correptas primas syllabas quae *consonante* cadunt cum non habeat poeta noster, *ancipites* tamen multas praebet. cf. p. 100.

	ā̆'biciunda	Ad. 744.	abicienda A et, e in ras., D.
(cf. p. 122)	cō̆nício	Haut. 63.	ic in ras C, conitio P.
	cō̆'nicias	Haut. 292.	
	cō̆nícias	Hec. 842.	ABCDF, conitias EP cf. p. 117, adn. 7.
	cō̆'nicerem	Ph. 190.	
	cō̆nícito	Ph. 166.	
	cō̆nícere	Eun. 547.	
	ī̆nícere	And. 140.	
	ō̆'bicerem	Haut. 186.	(9.)

c) *Vocali* autem exeuntes praepositiones in his per se *longam* faciunt syllabam. cf. p. 132, adn.

ēícitur	Ph. 673.	
ēíciam	Ph. 437.	
ēíciat	And. 382.	(ante caesuram versus.)
ēíciunda	Eun. 222.	eiciůnda A, fåciunda D.
		(4.)

d) Per *diphthongum* haec necesse est dicere. cf. p. 132, adn., 114.

rēī'ciat	Ph. 717.	
rēī'cere	Ph. 18.	(2.)

e) Unum exemplum licet *dubitare* sitne per diphthongum legendum an membratim. cf. p. 132, adn., 114.

ē'iciat vel ēī'ciat	And. 382.	(verbum a postremo proximum.)
		(1.)

RELIQUI SCAENICI POETAE.

Reliquorum, qui fabulas docuerunt, poetarum nunc indicabitur usus.

a) Syllabas praefixas quae *consonante* finiuntur in his exemplis *producendas* declarant numeri. cf. p. 100.

(cf. p. 125 sq.)	díssicis	Naev. 57. II. p. 16 R.[1]	
" "	díssicit	Att. 348. I. p. 181 R.[2]	H_2, discicit H_1.
" "	díssice	Caecil. 239. II. p. 74.	Putean., disce volgo.
	ī'nici	Caecil. 262. II. p. 77.	
	sū'bicit	Append. Sent. 49. II. p. 368.	sic volgo, subigit β, subecit αγ cf. p. 97.
			(5.)

b) Naevius solus *correptam* syllabam primam *consonante* cadentem exhibet.

(cf. p. 99)	ă'biciam	Naev. 94. II. p. 23.	(1.)

c) In his *incerta* est *consonante* exeuntium praepositionum mensura. cf. p. 100.

ā̆bícere	Publil. Syr. 9. II. p. 310.	sic Ribb., aspicere libri.
ā̆'dicis	ex inc. fab. 86, II. p. 127.	
ī̆nícere	Ennius 126. I. p. 31.	
ī̆niciendum	Laber. 134. II. p. 298.	(sine numeris citatum.)
ō̆bícitur	ex inc. fab. 40. II. p. 119.	
ō̆bícitur	ex inc. fab. 57. II. p. 121.	(6.)

d) *Vocali* quae exeunt syllabae primae videntur in his *produci*. cf. p. 132, adn.

(cf. p. 122)	cōícior	Laber. 147. II. p. 300.	
" "	cōícere	Afran. 311. II. p. 204.	
	ēícere	Pacuv. 385. I. p. 128.	
	prō'icit	Pacuv. 94. I. p. 88.	proicit Vat. Rott. Par., proiicit cett. cf. p. 118.
(cf. p. 105)	prō'ici	Laber. 83. II. p. 292.	(5.)

[1] O. Ribbeck, Comicorum Fragm., edit. sec., 1873.
[2] O. Ribbeck, Tragicorum Fragm., edit. sec., 1871.

e) *Synizesis*, quae dicitur, semel apparet. cf. p. 132, adn., 114.

(cf. p. 116)	dēī'cis	Laber. 119. II. p. 296.	(1.)

f) Per *diphthongum* haec dicenda sint necne *non liquet.* cf. p. 132, adn., 114.

(cf. p. 122)	cō'icere vel cōī'cere	Afran. 216. II. p. 191.	cohicere L cf. p. 120.
	ē'iciebantur vel ēī'ciebantur	Enn. 9. I. p. 16.	
	prō'iceret vel prōī'ceret	Afran. 347. II. p. 210.	
	rē'icis vel rēī'cis	Att. 430. I. p. 191.	Flor., reiicies Haun., reiices Goth., reiicis rell. cf. p. 118.
			(4.)

ENNIUS (ANNALES).

Iam vero, ut reliquos poetas, qui omnes fere hexametros versus scripserunt, deinceps temporum ordine disponamus, Enni in Annalibus usus indicetur.

a) *Consonante* terminatae praepositiones, ut constanter in herois usque ad extremam Augusti aetatem, producendae sunt. cf. p. 87.

(cf. p. 123)	cō'nicit	Ann. 61 M. = 75 Vahl.	
	ī'nicit	Ann. 172 M. = 171 Vahl.	(2.)

b) Solum exemplum, quod *vocali* finitam priorem partem habet, ea *producta* dicitur. cf. p. 105.

prō'iciunt Ann. 250 M. = 238 Vahl. (1.)

LUCILIUS.

Ex Lucili autem reliquiis excerpta sunt haec exempla, quorum in sex

a) *Consonante* cadunt praepositiones.

(cf. p. 123)	cō'nicere	XI. 10 M.	
	ō'biciebat	XI. 14 M.	
	sū'bicit	IV. 29 M.	sic Salmas., sucit codd.
	sū'bicit	XV. 37 M.	
	sū'bicit	XXVI. 62 M.	(ad fin. septenari troch.).
	sū'bicit	? lib. incert. 107 M.	subsit Fest. (summisit Paulus) cf. 308 et 310 M., subrigit Lachm. in edit. vs. 1111.

(6.)

b) In his autem *vocali* exit prior pars : —

(cf. p. 123)	cō'icis	II. 25 M.	
	cōícito	? XXVIIII. 48 M.	sic Lachm. in comm. Lucret. p. 136, coici aut conici codd. (sen. iamb.).
	dēíciam	XXVIII. 35 M.	sic aut deiciunt codd. (sen. iamb.).
(cf. p. 110)	ē'iĕcĕre	XXVIIII. 106 M.	LH_2, ecicere B_1, eiccere G_1, eicere Gen. $H_1 B_2 G_2$.
	rē'iceret	XXII. 6 M. (cf. 818 Lachm.).	sine metro citatum.
(cf. p. 115)	prō'iciam vel prōī'ciam ?	652 Lachm.	perficiam XXVII. 22 M. ex Madvig. Advers. I. 18, pereiciam Non. codd. p. 296 M.

(6.)

LUTATIUS CATULUS.

ē'iceret	vs. 4.	Baehr. PLM. VI. 276.	(1.)

M. TERENTIUS VARRO.

(cf. p. 111)	ē'iĕcit	Eumenid. IV. p. 125 Riese.	(cf. Vahlen. Varr. Sat. Menip. Reliqq. Coniect. p. 183, frg. XXII). sic BH_1, eicit LH_2G.

(1.)

LUCRETIUS.

a) *Consonante* finitae praepositiones.

(cf. p. 123)	cŏ́niciunt	6.731.	
" "	cŏ́nicere	1.751.	
" "	cŏ́nicere	2.121.	
" "	cŏ́nicere	2.1073.	
" "	cŏ́niciens	1.284.	
" "	cŏ́niciens	6.345.	
(cf. p. 125 sq.)	díssicietur	3.639.	
	ŏ́biciens	5.755.	(8.)

b) *Vocali* finitae praepositiones.

	dḗicit	5.1125.		
(cf. p. 111)	ḗiĕcit	2.951.	AB, eicit Nicc., Flor. 31, Camb.	
	ḗicit	6.689.		
	ḗiciuntur	3.58.	sic Lambin., Lachm., Munro, eliciuntur codd. cf. p. 117.	
	ḗiciuntur	3.497.	idem ac 3.58. " "	
	ḗiciatur	4.945.	eliciatur codd. " "	
	ḗicere	4.1046.		
	prṓiciunt	5.896.	sic Turneb., Lambin., proficiunt codd.	
	rḗicit	1.34.	B, Gottorp., reficit A, Nicc., Camb., al.	
	rḗiciat	5.641.		
	rḗiciat	6.81.		
	rḗicere	2.714.		
	trā́iciuntur	3.757.		
(cf. p. 111)	trā́iĕcĕre	3.513.		(14.)

c) Bis apparet *diphthongus*. cf. p. 115.

ēī́cit	3.877.	
ēī́cit	4.1272.	(2.)

CATULLUS.

a)	ā́bice	24.9.	(vs. Phalaec.).	
	ī́niciens	35.10.	(vs. Phalaec.).	(2.)

b)	ē′iciunt	105.2.	eiiciunt G cf. p. 117.
	prō′icies	55.19.	prohicies O cf. p. 120, proiicies G cf. p. 117.
	prō′iciet	64.370.	O, proiiciet G cf. p. 117, proiecit A1 L cf. p. 111.
	prō′icere	64.82.	DC al., proiicere G cf. p. 117, prohicere O cf. p. 120.
			(4.)

CICERO.[1]

Duorum exemplorum apud Ciceronem exhibet alterum certo *longam* priorem partem, alterum *ancipitem*.

a)	(cf. p. 97)	ā′biĕcit	de Div. 1.48.106.	AV.
b)	" 123	cŏ̄níciet	de Div. 2.5.12.	(in arsi senari).
				(2.)

TIBULLUS.

(cf. p. 123)	cō′nicit	1.8.54.	coniicit G cf. p. 89.	
	sū′biciet	1.5.64.	subiiciet G " "	(2.)

PROPERTIUS.

a)	ā′diciam	4.2.41.	
	ā′dice	4.11.77.	
	ī′niciat	4.6.86.	
	ī′nicere	4.7.34.	
	ō′bicitur	3.19.1.	
	ō′biciat	2.30.25.	
	sū′biciet	1.7.20.	(7.)
b)	prō′icis	3.8.4.	(1.)

[1] Haec verba ex Tusc. 2.36 Thielmann in Wölffl. *Archiv* IV. 600 in senarium voluit restituere, "Impélluntúr, feriúntur, *ăbíciuntúr*, cadúnt." Verum, ne asperrimum dicam hunc esse versum, pro aetate Ciceronis omnino haud placet emendatio, quae primam syllabam compositi correptam reddit.

VERGILIUS.

a) *Consonante* terminatur prior pars.

	ā′diciunt	A. 8.304.	
	ā′diciunt	10.182.	
	ā′diciam	12.837.	
	ā′dicias	11.354.	
(cf. p. 123)	cō′nicit	5.619.	
" "	cō′nicit	7.347.	co^{n}icit c.
" "	cō′nicit	9.411.	
" "	cō′nicit	10.646.	coicit R cf. p. 123.
" "	cō′nicit	10.657.	
" "	cō′nicit	10.891.	
" "	cō′niciunt	5.662.	coiciunt R cf. p. 123.
" "	cō′niciunt	6.222.	
" "	cō′niciunt	10.330.	
" "	cō′niciunt	10.801.	coiiciunt P cf. pp. 117, 123.
" "	cō′niciunt	11.194.	
" "	cō′nice	G. 4.26.	
" "	cō′nicite	A. 9.494.	
(cf. p. 126)	díssicit	12.308.	bc, dis^{s}icit M cf. 7.339 inf., disicit P$_2$γ, disiicit P$_1$ cf. p. 90, discidit R.
" "	díssice	1.70.	Rγbcm, schol. Servi 5.683, dissicep M, disice Donati exempl.
" "	díssice	7.339.	Rγbψ, dissicae c, dis^{s}ice M cf. 12.308 sup., disiice ut vid., supra scripta fortasse s, V cf. p. 90.
	ī′nicit	9.553.	
	ī′nicit	11.728.	Rc, incitat MPγb, incutit Heins.
	ī′niciunt	E. 6.19.	inciunt V.
	ī′nice	A. 6.366.	
	ō′bicis	4.549.	
	ō′bicit	6.421.	obiecit Prisciani L, obiiecit G cf. p. 97.
	ō′bicit	7.480.	

	ō′biciunt	2.444.	
	ō′biciunt	9.45.	
	ō′biciunt	9.379.	
	ō′bicitur	2.200.	
	ō′bicitur	5.522.	
	ō′bicienda	E. 3.7.	
	sŭ′bicio	A. 3.314.	
	sŭ′bicit	E. 10.74.	
	sŭ′bicit	G. 2.19.	
	sŭ′biciunt	4.304.	
	sŭ′biciunt	A. 2.236.	
	sŭ′biciunt	5.103.	
	sŭ′biciunt	7.110.	
	sŭ′biciunt	12.288.	
(cf. p. 102. 1)	supĕ′riacit	11.625.	superiicit P cf. p. 90, superlicit γ 1, cf. p. 117, suberigit R cf. Sil. 15.155 (p. 148 inf.).
	superī′nice	G. 4.46.	(43.)

b) *Vocali* finitae priores partes.

	dē′icis	A. 11.665.	
(cf. p. 111)	dē′iĕcit	G. 1.333.	RM, deicit γbc.
" "	dē′iĕcit	A. 8.428.	R, deicit Mγbc, de·i·cit P cf. p. 117.
" "	dē′iĕcit	10.753.	Rc1, Prisciani ω, deicit MPVγb.
(cf. p. 112)	dē′iĕcit	11.642.	c1, deicit MPRγb.
	dē′ice	G. 3.422.	
	prō′icis	A. 11.361.	
" "	prō′iĕcit	5.776.	c, proicit R.
	prō′ice	6.835.	proiice R cf. p. 117.
	rē′icit	10.473.	
	rē′iciunt	11.619.	
	rē′ice	G. 3.389.	
" "	trā′iĕcit	A. 9.634.	γ2 cm, traⁱᵉcit b, traicit M, transiit ut vid. γ1, transigit P, transadigit R.
	trā′icit	10.400.	trahicit M cf. p. 120, trai·cit (eras. i) c cf. p. 117.
	trā′icit	11.685.	(15.)

c) Per *diphthongum* enuntiatum.

(cf. p. 116)	rēī′ce	E. 3.96.		(1.)

HORATIUS.

a)	ā′bicito	Ep. 1.13.7.		
	ā′diciant	C. 4.7.17.		
	ī′niciat	1.17.26.	(vs. Alcaicus.)	
	ī′niciat	S. 1.6.32.	inliciat C, illiciat g cf. p. 117, initiat ER1 ut vid., z.	
	ō′biciebat	1.4.123.		
	ō′biciet	1.6.69.		
	ō′biciet	1.6.107.		
	ō′bice	Ep. 1.16.62.		
	ō′bicere	C. 3.10.3.	(vs. Asclep.)	(9.)
b)	prō′icit	A.P. 97.		
	prō′icere	S. 2.3.100.		(2.)
c) (cf. p. 116)	dēī′cere	S. 1.6.39.		(1.)

OVIDIUS.

a)	ā′dicis	A.A. 3.8.	
	ā′dicis	M. 11.285.	addicit λ.
	ā′dicit	A.A. 3.152.	
	ā′dicit	M. 2.384.	
	ā′dicit	7.266.	
	ā′dicit	11.637.	
	ā′dicit	11.671.	
	ā′dicit	12.58.	
	ā′diciunt	1.245.	
	ā′diciunt	7.121.	
	ā′diciunt	10.656.	
	ā′diciam	Am. 2.13.25.	
	ā′diciam	M. 9.628.	
	ā′diciam	Pont. 1.8.56.	addiciam FP.

	ā'dicerem	T. 5.5.25.	addicerem HKV αβηλν, adijcerem Q cf. p. 90, adducerem C (corr.), adderem D (corr. D_2).
	ā'dice	Med. Fac. 63.	
	ā'dice	82.	
	ā'dice	Rem. Am. 558.	
	ā'dice	790.	
	ā'dice	M. 6.182.	
	ā'dice	14.319.	
	ā'dice	T. 3.1.49.	addice BEOβζηνρs, Fragm. Burn. 277, adiice Q cf. p. 90.
	ā'dice	F. 1.189.	codd. plerique, addice Σ adiice Ns cf. p. 90.
	ā'dice	4.75.	
(cf. p. 123)	cō'nicit	M. 7.245.	co^{n}icit M.
" "	cō'niciunt	5.42.	
" "	cō'niciunt	11.28.	
" "	cō'niciendus	T. 3.11.46.	coniiciendus H cf. p. 90, conviciendus O, conniciendus κ, conijciendus Q cf. p. 90, iniciendus F_2V_2 (recte FV).
(cf. p. 126)	díssicit	M. 11.386.	sic aut disicit codd. plerique, dissidit λ cuius in marg. deiecit cf. p. 112.
	ī'nicit	Am. 3.9.20.	
	ī'nicit	M. 9.78.	
	ī'niciunt	A.A. 1.116.	
	ī'niciunt	F. 6.515.	
	ī'niciam	Am. 1.4.40.	
	ī'niciam	2.5.30.	
	ī'niciet	1.4.6.	
	ī'niciet	T. 3.7.35.	innicit V, inniciet V_2.
	ī'nicias	Ep. 19.190.	
	ī'nicias	Pont. 3.4.101.	

ĭ'nicerem	Ep. 12.158.	
ĭ'niceret	M. 3.389.	
ĭ'nice	Ep. 8.16.	
ĭ'nicere	M. 1.184.	
ŏ'bicit	3.516.	
ŏ'bicit	13.308.	
ŏ'biciunt	T. 5.10.40.	obiiciunt QV cf. p. 90.
ŏ'bicitur	Am. 2.7.18.	
ŏ'bicies	2.2.37.	
sŭ'bicio	T. 4.1.74.	subijcio Q " "

(49.)

b) *Correpta* prima syllaba quae *consonante* cadit non occurrit apud Ovidium. Namque illud *ăbici*, quod Merkel et Güthling in Pont. 2.3.37 acceperunt atque L. Müller in libro de Re Metrica p. 291[2] (p. 250[1]) defendit, nimirum *abigi* verbo locum dat atque cedit; scribitur enim in uno codice *β*, Monacensi lat. ·384 saec. XII, qui liber quamquam ad constituendam Ponticorum scripturam ponitur inter praecipuos, hic tamen non sequendus est contra ceteros, qui *abigi* tradunt. Neque Ovidius, qui aliter his consonante exeuntibus primis syllabis semper longis utitur, semel brevem passus esse potest putari. cf. p. 101.

c)

dē'icit	M. 1.719.	
ē'icitur	T. 5.6.13.	eiicitur deflor. Vincent. Bellov., eijicitur Q cf. p. 117.
prō'icit	Ep. 21.165.	
prō'icit	M. 9.575.	
prō'icit	Pont. 3.4.97.	
prō'iciere	I. 164.	proitiere T.
prō'iciare	294.	
rē'icio	Ep. 21.200.	
rē'icit	F. 1.436.	
rē'iciat	T. 1.1.66.	reiciet $\beta\rho$ (corr. ρ_2), proiciat ER$\delta\eta\lambda$, eiciat (in ras. d dispicitur) ψ.

	rē′icerer	M. 9.606.	
	rē′ice	Am. 1.4.34.	
	rē′ice	A.A. 1.695.	
	rē′ice	M. 14.677.	
	rē′icere	2.582.	
	rē′icere	9.51.	
	trā′icit	9.128.	
	trā′icias	F. 4.782.	traiicias in ras. m. cf. p. 117.
	trā′icerer	T. 5.2.33.	trahicerer BG$_2$HR al. cf. p. 120, traiicerer Δξο, traijcerer Q cf. p. 117, transigerer V, traicerem GO. (19.)
d)	(cf. p. 116) dēī′cere	? F. 4.709.	*dicere* habent codd. plerique, unde in Merkeli edit. min. Teub., 1884, *deicere* restitutum et p. xxxix defensum est. *de cruce* posuit Merkel ipse in edit. maiore. *vivere*, quod est scriptura cod. Ursiniani (V) saec. XI, editoribus fere placuit. (1.)

CONSOLATIO AD LIVIAM

perperam adscripta Nasoni unum exemplum praebet, quod consuetudinem illius servat.

ā′dice 283. (1.)

A. SABINUS

quoque unum dat exemplum.

ā′dice Ep. 3.72. (1.)

Sub finem Augusti imperi incipiebant poetae *correptas* adhibere praepositiones quae *consonante* finitae subiunguntur *iaciendi* verbo. Hanc tamen novitatem nec omnes admisere, nec singuli constanter. cf. pp. 87, 101.

MORETUM.

Moretum carmen et veterem et novum ostendit usum. cf. p. 101.

a)	ăbicĭt	96.	sic aut adicit plerique codd., adiicit Hε cf. pp. 83, adn., 90, abdicat V.	(1.)
b)	ā′dicitur	99.	adiicitur BHε cf. p. 90.	(1.)

CIRIS.

Ciris exemplum *diphthongi* habet.

(cf. p. 116)	rēī′cere	? 118.	sic Heins., dicere aut ducere codd.	(1.)

AETNA.

Aetnam, cum post aliquanto componeretur, hic liceat ponere.

ī′nice	405.	C, isse H.	(1.)

GERMANICUS.

a)	(cf. p. 101)	sŭbicĭt	196.	obicit var. script.	(1.)
b)	(cf. p. 115)	trā′icit	512.	traxit et pertraxit var. scriptt.	(1.)

MANILIUS.

a)	(cf. p. 101)	ădic(e)	4.44.	(1.)
b)	(cf. p. 115)	prō′icit	4.259.	(1.)

PHAEDRUS.

a) *Consonante* exeuntes praepositiones in arsi senari iambici positae *ancipitis* sunt mensurae; cf. p. 101.

ăbíciet	4.5.42.	
ădíciam	4.2.9.	(2.)

b) *Vocali* cadit praefixa syllaba.

(cf. p. 115) ĕ′ici Append. 8.20. eiici NV cf. p. 117. (1.)

SENECA.

a) *Consonante* quae terminantur praepositiones *producuntur*, si quidem codicibus credere possumus, in formis tribus *dissiciendi* verbi. cf. autem pp. 101, adn. 4, 126.

(cf. p. 126) díssicit	Tro. 395 L. = 404 P.[1]	dissipat A, dissicat E, corr. Σ, cf. p. 124, adn. 6. (vs. Asclep.)	
" " dissícere	Agam. 896 L. = 954 P.	(sen. iamb.)	
" " dissícite	Phoen. 343 L. = Oed. fr. 343 P.	sic E, deicite interpolator E codicis. (sen. iamb.)	(3.)

b) *Consonante* cadentes praefixae syllabae his in exemplis *corripiuntur*. cf. p. 101.

ă′bicit	? de Clem. 2.5.5.	Thielmann in Wölffl. *Archiv* IV. p. 600.[2]	
ă′dice	Med. 277 L. = 277 P.	(sen. iamb.)	
ă′dice (bis)	Med. 527 L. = 530 P.	(sen. iamb.). adijce A cf. p. 90.	
ă′dice	Med. 783 L. = 786 P.	(sen. iamb.)	
ă′dice	Oed. 811 L. = 832 P.	(sen. iamb.)	
ă′dice	Herc. Oet. 364 L. = 367 P.	(sen. iamb.)	
ădicít	Thyest. 727 L. = 727 P.	(sen. iamb.)	
ădic(e)	Med. 471 L. = 474 P.	(sen. iamb.)	
ŏ′bicit	Med. 496 L. = 449 P.	(sen. iamb.)	
ŏ′bici	Med. 237 L. = 237 P.	(sen. iamb.)	
ŏbicí	Herc. F. 434 L. = 438 P.	(sen. iamb.)	(11.)

1 L. = edit. Leo. 1878–79. P. = edit. Peiper. et Richter. 1867.

2 Is senarium putat restituendum esse, "Maerór contundit méntes *ăbicit* cóntrahit." Forsitan hoc recte coniecerit, sed alicui antiquo poetae quod tribuendum sentit, periculum est ne erret, quoniam rarius apud antiquos (cf. p. 99) haec fit correptio.

c) *Consonante* finitae priores partes *breves an longae* sint numeris decerni non potest. cf. p. 101, adn. 4.

ă̄dícere	Phoen. 201 L. = Oed. fr. 201 P.	(sen. iamb.)
ŏ̄bícere	Med. 497 L. = 500 P.	(sen. iamb.)

(2.)

d) Uno in exemplo *vocali* terminata praepositio productione sit legenda an per diphthongum est *dubium*. Haec tamen ratio se magis commendat.[1]

(cf. p. 116) prō'iciet vel prōī'ciet Phoen. 426 L. = 64 P. (sen. iamb.)

(1.)

OCTAVIA

fabula praetexta Senecae falso olim attributa, haud tamen ita multo recentiore tempore scripta, habet duo exempla quae cum eius consuetudine consentiunt.

ădic(e)	125 L. = 130 P.	(sen. iamb.)	
sŭbicít	827 L. = 843 P.	(sen. iamb.)	(2.)

LUCANUS.

a) *Consonante* exeuntes in omnibus exemplis praepositiones sunt *corripiendae*. cf. p. 101.

ŏbicís	8.796.	
ŏbicít	9.188.	
sŭbicít	7.574.	subigit aut subegit var. scriptt.
sŭbicí	8.740.	subiit G1.

(4.)

VALERIUS FLACCUS.

a) *Consonante* finitae praepositiones sunt constanter *longae*. cf. pp. 87, 102.

	ā'dicias	7.508.	
	ā'dice	8.41.	
(cf. p. 123)	cō'niciunt	6.271.	
(cf. p. 126)	díssicit	3.162.	C, dissicet P, disicet M, disiicit M2. cf. p. 90.

[1] Cf. L. Müller. de Re Metr., pp. 163–6[2] (150–3[1]).

ī′nicit	3.343.
ī′niciunt	2.236.
ō′bicis	5.627.
ō′bicit	6.679.
ō′bicit	7.460.
ō′bicit	7.524.
ō′biciat	8.388.

(11.)

b) *Vocali* cadentes praefixae syllabae in his *producuntur*. cf. p. 115.

dē′icit	1.191.
dē′icit	2.330.
dē′icit	6.194.
dē′icit	6.218.
dē′icit	6.552.
prō′icit	2.527.

(6.)

c) Unum exemplum per *synizesim* dicendum est.

(cf. p. 116)	dēīcít	7.514.	nunc deicit vultus codd., Schenkl, Baehrens; deicit hinc vultus edit. Bonon. pr. a. 1474, Thilo.

(1.)

SILIUS ITALICUS.

a) *Consonante* quae exeunt praepositiones in his exemplis *producuntur*. cf. pp. 101–02.

(cf. p. 123)	cō′nicit	14.306.	
(cf. p. 126)	dī′sice	9.538.	disice LV, disire vel disice corr. in dissijce F. cf. p. 90, dissite O, discute volgo.
" "	díssice	13.444.	Ch, discite O.
(cf. p. 102, adn. 1)	supē′riacit	? 15.155.	sic Bauer ed. 1892; superiicit vel potius supericit scriptum esse iudicavit Wagner ad Verg. 11.625. suberigit codd. LOV, cf. Verg. 11.625 (p. 140 sup.). subegerit F, superstetit coniecit Bentley.

(4.)

b) Ceteris in exemplis syllabae primae sunt *contractione* legendae. cf. pp. 101–02.

ĭnicít	10.570.	
ŏbicít	4.149.	
sŭbicít	1.113.	
sŭbicí	13.298.	(4.)

ILIAS LATINA.

Ilias Latina, quae fortasse a Silio scripta est, habet haec exempla duo : —

a) (cf. p. 125 sq.) dĭ'siceret 325 (Baehrens. PLM. III. p. 23). disiiceret E cf. p. 90, discideret FV, divideret MN, dis^{cu}ceret L, discuteret B. (1.)

b) (cf. p. 115) trā'icit 835 (PLM. III. p. 48). (1.)

STATIUS.

a) *Consonante* quae cadunt priores partes in omnibus, praeter unum, exemplis *producuntur*. cf. p. 102.

	ā'bicit	Achil. 1.172.	
	ā'bicit	Th. 2.479.	
(cf. p. 126)	díssicit	1.590.	BG$_2$M, disicit H Anglic., dissicet P, discicit S, discidit Pal. 1.
" "	díssiciat	Achil. 1.311.	PG$_2$, dissiceat Pc, dissotiet G$_1$, deiiciat D cf. p. 118, discutiat ptH.
" "	díssice	Th. 10.69.	
	ĭ'nicio	5.315.	
	ĭ'nicit[1]	3.434.	
	ĭ'nicit	6.194.	

[1] *Inicit* initio vs. Th. 9.807 omnes codd. habent, praeter Puteanum (P), codicum Statianorum excellentissimum, in quo *iecit et*, quod postulat contextus verborum. scriptum legitur.

	ī́niciam	1.242.	
	ī́nice	7.518.	
	ī́nice	11.595.	
	sŭ́bicit	2.189.	
	sŭ́bicit	5.672.	
	sŭ́biciunt	3.716.	
	sŭ́biceres	1.74.	(15.)
b) (cf. p. 102)	ădicí	7.4.	(1.)

c) *Vocali* exeuntes praepositiones tantum non omnes faciunt per se syllabam *longam*. cf. p. 115.

dḗicit	Th. 6.650.	
dḗicit	12.368.	
dḗicit	12.743.	
prṓicis	2.460.	
prṓicit	1.388.	
prṓice	2.658.	
prṓcite	3.643.	
rḗicit	6.770.	PGH, eicit G2bcr, eiecit B cf. pp. 112, 114; eiicit. codd. Behottiani cf. p. 118.

(8.)

d) Per *diphthongum* autem dicendum est unum exemplum.

(cf. p. 116)	rēicít	Th. 4.574.	(1.)

MARTIALIS.

a) Omnium exemplorum primae syllabae *consonante* finiuntur *corripiendaeque* sunt. cf. p. 101.

ădicít	4.54.9.	
ădicít	10.82.1.	adiicit bϕ cf. pp. 83, adn., 90.
sŭ́bice	9.75.10.	(scazon.)

(3.)

IUVENALIS.

a) (cf. p. 101) ăbicít 15.17. (1.)

SERENUS SAMMONICUS.

a) Huius ad a. 200 p. Chr. n. florentis poetae utrumque exemplum habet *productam* syllabam praefixam. cf. pp. 87, 102.

ā'bice	113 (PLM. III. p. 112).	
ā'dicies	463 (PLM. III. p. 128).	(2.)

Posteriorum solos poetarum Ausonium Burdigalensem et Claudium Claudianum dignos puto qui hac in quaestione, quod versus Latinos numeris perfectis scripserunt, laudentur. Horum

AUSONIUS

a) ea tantum exempla praebet quorum priores partes exeunt *consonante* atque *producuntur*. cf. p. 102.

ā'diciam	p. 195. III. 2 [150.2] ed. Peiper. 1886; p. 49. 22; p. 101. 12; p. 105. 23.	
ā'dicies	p. 195. III. 2.	
ō'bicit	p. 88. 17.	
ō'bicitur	p. 89. 39.	
sū'bice	p. 338. LXX. 2.	
sū'biciet	p. 91. 9.	(9.)

CLAUDIANUS.

Claudianus autem plerumque *longas*, bis tamen *correptas* habet praepositiones. cf. p. 102.

a)	ā'dicias	1.141.	
	ō'bicis	21.301.	
	ō'bicit	26.613.	
	ō'biciat	33.74.	
	sū'bicit	18.358.	(5.)
b)	ŏbicís	8.365.	
	sŭbicít	36.134.	(2.)
c) (cf. p. 115)	dē'icit	28.230.	(1.)